Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIA CONCILIORUM GENERALIUM

## LIBER SECUNDUS,

*AUCTORE*

Magiſtro EDMUNDO RICHERIO,
Doctore ac Socio Sorbonico.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

*COLONIÆ,*

Apud BERNARDUM HETSINGH.

CIƆ IƆC LXXXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# HISTORIA
## Conciliorum Generalium.
## LIBER II.

### CAPUT PRIMUM.

I. *Cauſæ, ob quas Romani Pontifices mortuo Bonifacio* VIII. *Sedem Romanam tranſtulerunt Avinionem.*

II. *De cauſis ſchiſmatis inter Innocentium* VI. *Clementem* VII. *poſt exceſſum Gregorii* XI.

III, *Carolus* V. *Galliæ Rex anteà Clementi* VII. *parere noluit, quàm Cardinales, qui Clementem elegerant, juraviſſent ſolum Clementem fuiſſe Canonice delectum.*

IV. *Academia Pariſienſis, cùm mala & deformitates prævideret, quæ ex Antipaparum ſchiſmate Eccleſiæ imminebant, Clementi quamquam Canonicè electo parere recuſavit.*

V. *Regum Franciæ labores & ſumptus pro extinguendo ſchiſmate.*

VI. *Eorundem edicta, ut Eccleſia Gallicana reduceretur ad ſuas antiquas libertates,*

VII. *Solicitudo Academiarum Europæ pro ſchiſmate ſarciendo: & de articulis Pariſienſis, & Bononienſis Academiæ ſuper ea re.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

I. VT poſteri ſeriem integram Conciliorum Generalium,& regiminis Eccleſiæ habeant, geſtis octo primorum Ego Hiſtoriam prioris Synodi Piſanæ, Conſtantienſis, Baſileenſis, ſecundæ Piſanæ; Lateranenſis ultimæ, atque Tridentinæ Synodi ſubjungam: principiumque faciam ab tranſlatione Sedis Romanæ Avinionem: quia hoc Schiſmatibus cauſam ali-



Digitized by Google

aliquam præbuit. Etenim, Benedicto XI. Bonifacii VIII. Succeſſore vita functo, Collegium Cardinalium in duas diviſum partes undecim circiter menſes altercando contrivit, antequam de Summo Pontifice nominando convenire poſſet. Ex una parte Matthæus Urſinus cum Franciſco Cajetano ex Bonifacii VIII. Fratre genito: Ex altera Neapoleo Urſinus, & Pratenſis Cardinales ſtudiis partium moderabantur.

Tandem Cardinalis Pratenſis cum Cajetano colloquutus: *Magnum*, inquit, *damnum Eccleſiæ creamus*, *Cajetane*, *quod de Pontifice nominando non convenimus. At*, infit Cajetanus, *per me non ſtat. Ergo*, ait Pratenſis, *vobis optionem damus nominandi tres Archiepiſcopos Galliæ à Bonifacio creatos Pontificatu idoneos*, *quorum ego cum Sociis meis intra quadraginta dies unum diligemus in Romanum Pontificem*, *quem vos deinceps ſuffragiis veſtris confirmabitis.* Conditionem accipit Cajetanus: Pratenſis verò quamprimum Galliæ Regem Philippum pulchrum per excurſores velociſſimos facit certiorem conditionis à Cajetano acceptæ, petitque quem ex tribus Archiepiſcopis memoratis nominari velit Pontificem. Burdegalenſis, unus ex illis tribus Archiepiſcopis, tum valde alieno erat animo à Franciæ Rege, eo quod hic bello Aquitanico conſanguineos Archiepiſcopi Burdegalenſis infeſtaſſet; Rex autem illum certiorum

Digitized by Google

tiorem facit ſitum eſſe in ſua manu eum ad Pontificatum evehere, quo nuncio accepto Burdegalenſis Archiepiſcopus Cathedræ Romanæ deſiderio facillime cum Philippo rediit in gratiam. Qui ſtatim Cardinali Pratenſi reſcribit, ut Bertrandum Gothum Burdegalenſem Archiepiſcopum deligerent in Papam. Pratenſis, re communicata cum ſociis, Cajetano Burdegalenſem Archiepiſcopum nominat; quem cum Cajetanus Philippo Regi infeſtum arbitraretur, eundem cum ſuis aſſeclis cooptavit Pontificem anno MCCCV. eſtque vocatus Clemens V. qui partim ut Galliæ Regi gratificaretur, partim etiam propter bellum, quo Italiæ Reguli tum Eccleſiæ Romanæ patrimonium populabantur, Sedem defixit Avinione, ubi LXXIII. annos, hoc eſt ad Gregorii XI. tempora, continuavit.

II. Nam Gregorius crebris monitis & ſuaſionibus B. Catharinæ Senenſis cum Romam rediiſſet: atque paulo poſt anno MCCCLXXVIII. Sexto Kalendas Aprilis exceſſiſſet, populus Romanus ſeditione facta ad Conclave irrupit, atque omnibus Cardinalibus mortem interminatur, niſi vel Romanum, vel ſaltem Italum natione crearent Pontificem. Quocirca Cardinales, qui aliter ſaluti ſuæ conſulere non poterant, Bartolomeum Neapolitanum, qui Cardinalis non erat, delegerunt, eſtque appellatus Urbanus VI. Cæterum Cardinales ægrè ferentes vim ſibi à populo Romano illa-

tam, aliquanto poſt ſimulata & affectata jocoſa peregrinatione Roma exierunt, ac ſeſe Fundos oppidum non procul à Cajeta contulerunt, ubi communibus & liberrimis votis Robertum Gebennenſem, qui Clemens VII. indigetari voluit, in Pontificem Romanum cooptarunt. Ego hîc eorundem Cardinalium literas ad Rectorem Univerſitatis Pariſienſis exſcribam, quas ex Academiæ tabulario prompſi cum permultis aliis monimentis quæ deinceps proponam.

*Miſeratione divina Collegium S. R. E. Cardinalium dilectis filiis, Rectori, Magiſtris, & Scholaribus Univerſitatis Pariſienſis, ſalutem, & poſt literarum glorioſa certamina æternæ fœlicitatis bravium adipiſci. Scripſiſſe nos vobis recolimus per dilectum filium Joannem de Guignicurte in ſacra Theologia Baccalarium ea, quæ per inſanum populum miſerabilis urbis Romæ, ejusque Officiales perfidos, dira tyrannide, auſuque ſacrilego, belluarum ſævientium more, dum poſt obitum felicis & ſanctæ recordationis Domini Gregorii Papæ XI. ad futuri electionem Pontificis curaremus: tam in perſonas noſtras, quam bona, eorum actuum multiplicatione infeliciter patrata ſunt, ut per ipſorum effrænatam malitiam aliquis in Sede Apoſtolica intruderetur, prout rei exitus lucide demonſtravit. Hac itaque occaſione habet Petri ſedes ſeſſorem Apoſtaticum, unicæ dilectæ invaſorem, ſatorem erroneorum dogmatum, & veritatis totius contemptorem: hunc*

*hunc certe non tradidit Canonica electio: hunc Spiritus Domini non vocavit: hunc non ſtabilivit conſenſus: hunc truculenta rabies, & ſæva timorum incuſsio in Apoſtolicam Sedem intruſit. Ne igitur intruſus ipſe, qui datus in ſenſum reprobum terreni faſtus appetitor factus eſt, & propriæ ſalutis contemptor, per ſuam obſtinatam malitiam, & obſtinationem iniquam fideles aliquos ſuper præſenti negotio faceret dubitare, ad publicationem quandam proceſſimus, ſicut per dilectum filium Petrum de Corbeja Secretarium Regium præſentium portitorem informabimini plenius, cujus relationibus fidem petimus adhiberi. Datum Anagniæ* M CCC LXXIII. *Apoſtolica Sede vacante*, ſignatum *Gebye*, & ſigillatum cera rubea cum duplici cauda.

Hinc patet quanto tum eſſet in pretio Academia Pariſienſis: erat enim velut totius Chriſtianitatis ſeminarium. Porrò ego me apud Froiſſardum, & alios auctores legiſſe memini; Magiſtrum Joannem de Guignecourt, cujus in memoratis literis mentio habetur, habitum fuiſſe omnium ſui ſeculi doctiſſimum; & nihil eorum, quæ homines ſcire poſſunt, ignoraviſſe.

III. Carolus V. qui tum regnabat in Galliis, & anno M CCC LXXX. diem ſupremum obiit, nunquam adduci potuit, ut Clementi VII. obedientiam ſponderet, antequam Cardinales, qui Clementem elegerant, ſacramento & ſyngraphis firmarent, publicarentque

unum & ſolum Clementem VII. eſſe legitimum & Canonice electum Pontificem.

IV. Hocque Academia Pariſienſis quamquam apprime ſciret, nihilominus quaſi ex alta ſpecula prævidens mala, que ex Antipaparum ſchiſmate, tum Catholicæ, cum privatim Gallicanæ Eccleſiæ, propter viciniam Sedis Avinionenſis, impendebant, Clementi VII. parere detrectabat: quamquam hic ſibi Univerſitatis benevolentiam conciliare impenſiſſime ſtuderet, ut ex ſequentibus literis patet.

*Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis, Rectori, ac univerſis Magiſtris facultatis Artium ſtudii Pariſienſis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad noſtrum, filii dilecti, nuper venit auditum, quod in & ſuper electionis negotio de nobis ad apicem ſummi Apoſtolatus Canonice celebratæ, de qua forſan (ut aliquorum relatione didicimus) aliquantulum hæſitaſtis, ad chariſſimi in Chriſto filii Caroli Regis Francorum Illuſtris inſtantiam, reſponſionem benevolam, & Orthodoxæ fidei congruam, imo Chriſticolæ populo neceſſariam, pia mente dediſtis: ſuper qua veſtræ devotionis eximiæ puritatem Charitatis viſceribus amplexantes, vobis gratiarum referimus multiplices actiones: & quia fidelem aſſiſtentiam, qua tam moderno, quam anteactis temporibus nobis, & Romanæ Eccleſiæ viriliter aſtitiſtis, prout aſſiſtitis, recolimus, in præſenti ad veſtrum ſalubre regimen multipliciter obliga-*

*obligamur, tenentes & credentes ſimiter, quod fidei veſtræ ſinceritas de bono in melius ſemper creſcet, ut antea: nec in animum noſtrum aſcendere poterit, quod cum veſtræ Univerſitatis utilitatem & commodum, ejusque ſalubre regimen affectemus, alicujus ſiniſtra ſuggeſtio fraudulenta devotionis veſtræ conſtantiam, de qua ſtabili mente confidimus, a fide noſtra valeat revocare: & etiam licet egere vos exhortationibus non credamus, quos ſine requiſitione ferventes ſancta mater Eccleſia ad ſua ſervitia ſpe probabiliter eſt experta, nihilominus tamen quatenus in fide & ſervitiis noſtris, & ejusdem Eccleſiæ propter errorem ſchiſmaticum nunc proh dolor fluctuantis ſoliciti more fidei ſolitæ vigilantes, & in conſtantia tanquam Orthodoxi filii & divini nominis amatores in vera perſeverentia & benevolentia permanentes, nobis Canonice ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumptis, & eidem Eccleſiæ adhærere ferventer & aſſiſtere ſtudeatis. Et ſicut noſtrum & Eccleſiæ memoratæ affectatis honorem, & ab Altiſſimo præmiorum retributiones multifarias expectatis, modos & vias, quibus Bartolomei de Perignano; olim Archiepiſcopi Barenſis, & ſibi adhærentium temeritas refrænetur, exquirite: quodque ejus literæ & mandata nullum ſortiantur effectum, nec exequi permittantur, excogitetis: unanimiter operoſi ingenium acuatis, & cum induſtria & ſolicitudine, quibus poteritis, elaborare curetis, omnes & ſingulos nobis quomodolibet adverſantes ad fidei noſtræ*

*ſemitas & gremium ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ reducentes. In his, dilecti filii, cum in vobis inter cæteros fiduciam non modicam habeamus, taliter vos gerentes, quod exinde apud Deum meritis, penes nos gratia, & apud homines clara fama creſcatis; vobisque non ſolum præmium æternæ retributionis obveniat, ſed & favor Apoſtolicæ Sedis accreſcat; quem vobis, quantum cum Deo poterimus exhibere proponimus, ac veſtra & Univerſitatis veſtræ utilitates & commoda, pro quibus ad nos recurrere vos contigerit, poteritis favorabiliter promovere. Volumus autem quod ad nos in occurrentibus & vobis beneplacitis recurſum confidentiſſimum habeatis; quia intendimus vobis affectione paterna, quantum cum Deo poterimus, ubilibet complacere; & ſuper præmiſſis vobis per dilectum filium Hugonem Lenvoyſié Magiſtrum in Theologia Decanum Rotomagenſem Apoſtolicæ Sedis Nuncium & Capellanum noſtrum latius explicandis velitis fidem credulam adhibere. Datum Avinioni* VII. *Kalendas Auguſti Pontificatus noſtri anno primo.*

Quocirca hæ literæ Pontificiæ ſcriptæ ſunt anno MCCCLXXIX. quibus Academia Pariſienſis nihilo placabilior erga Clementem facta eſt: ſæpe enim Magiſtri, & privatim in ſuis comitiis, & publice de ſchiſmate conquerebantur: eamque ob cauſam Magiſter Joannes Ruſſius Abbavilleus alumnus Collegii Cardinalitii & Doctor Theologus conjectus eſt

eſt in carcerem: quia coram Rege Carolo VI. & Duce Andegavenſi, qui tum ætatem pupillarem Principis regno moderabatur, liberius de Clementis curia loquutus fuiſſet. Quicquid enim virtutis & pudoris in diſciplina Eccleſiaſtica ſupererat, totum & Romæ & Avinioni ab Antipapis proſtitutum & conculcatum fuit. Verum Magiſter Ruſſius paulo poſt Rectore Academiæ totaque Schola poſtulante ſolutus eſt vinculis, & Romam ad Urbanum Antipapam perrexit, ubi honorifice exceptus eſt. Aliquanto etiam poſt Magiſtri Petrus Alliacenus, Ægidius de Campis, & Joannes Gerſonius vocati ſunt in periculum, quod liberius contra Romanam curiam loquerentur: qualis autem tum fuerit Eccleſiæ ſtatus varia opuſcula Gerſonii Cancellarii Pariſienſis, & Libellus Magiſtri Nicolai de Clamengis Theologi Pariſienſis, quem *de corrupto Eccleſiæ ſtatu* inſcripſit, cum opuſculo Cardinalis Alliaceni *de emendatione Eccleſiæ*: Item Acta, quæ mox ſubjungemus, plus ſatis docent. Porro Clemens VII. cum anno MCCCXCIV. obiiſſet, Petrus de Luna Hiſpanus, qui & Cardinalis de Luna vocabatur, in Clementis locum ſuffectus, & Benedictus XIII. nuncupatus eſt Avinione: quemadmodum anno MCCCLXXXIX. poſt Urbani VI. exceſſum Cardinales Romani Bonifacium IX. elegerant Romæ. Magiſter Joannes Gerſonius nomine Academiæ Pariſienſis Legatus

gatus ad Benedictum XIII. anno MCCC III. die Circumciſionis Dominicæ concionem habuit Taraſcone coram Pontifice, præſente D. Principe Aurelianenſi, ubi de potentia Papæ & Concilii, nec non etiam de ſtatu Eccleſiæ, atque abuſibus emendandis doctiſſime diſſeruit, illamque ita clauſit: *Benedic principio anni benignitatis tuæ*, Pontificem excitans ad Concilii celebrationem pro extinguendo ſchiſmate & reformanda Eccleſia. Item quatuor conſiderationibus de pace reddenda Eccleſiæ etiam ibidem diſputavit, & ad menſem Novembris in hoc ſtudio Taraſconæ & Maſſiliæ continuavit primo anno Pontificatus Benedicti XIII.

V. Sed anno MCCC IV. cum Bonifacius IX. diem ſupremum peregiſſet Romæ, ejuſdem Cardinales Innocentium VII. cooptarunt. Unde Regii Sanguinis Franciæ Principes crebris Academiæ Pariſienſis ſuaſionibus exſtimulati, ubi perſpiciunt nulla unquam ratione ſchiſmata finem habitura, ſi de jure Pontificatus inter duos Antipapas diſceptaretur; conſtituerunt ſic eſſe cum utroque agendum, ut eis in animum induceretur mutuam ſponſionem facere de Papatu ejurando pro Eccleſiæ unione: quam in rem frequentes Nuncios & Romam, & Avinionem ablegarunt: tumque demum poſt labores & ſumptus infinitos, ubi ſolemnis ſponſio, & Antipaparum, & omnium Cardinalium ſuorum Sacramentis,

tis,

tis, atque Syngraphis munita fuit, anno MCCCVI. Innocentius VII. qui Romæ ſedebat, viam univerſæ carnis ingreditur: illius vero Cardinales ad novum creandum Pontificem accincti in ipſo aditu conclavis ſeſe ſolemni voto & Sacramento privatim & in commune obſtringunt ad Pontificatum ejurandum pro ſarciendo ſchiſmate, ſi forte aliquem eorum iri accideret: & ad interpellandum Papam Avinionenſem, ut pollicitationem à ſe factam de abdicando Pontificatu impleret. Quibus inter Cardinales Romanos ita conſtitutis atque in Acta relatis, Angelum de Corrario Venetiis oriundum ſeptuagenarium, tanquam ad unionem promovendam magis idoneum deligunt, qui Gregorius XII. indigetari voluit, & Sacramentum, quod ante ſuam electionem de ejurando Papatu emiſerat, poſt ſuam inaugurationem non modo iteravit, verum etiam his aliis verbis magnificis & ſpecioſis confirmavit, puta, *ſibi* LXX. *annis nato, ſi reliqua ad unionem Eccleſiæ procurandam defuerint, nihilominus baculo & pedibus etiam perreptando quocumque Gentium ad eam complendam profecturum, nec ullis unquam laboribus aut periculis in hac cauſa parciturum.* Gerſonius Sermone facto de quatuor conſiderationibus pro pace, conſideratione II. ait: *Se pluries accepiſſe ab ore Benedicti XIII. quod paratus eſſet etiam uſque ad mortem vel immolationem proprii corporis, ſi ita rei exigeret, Eccleſiaſticam*

*ſticam unionem procurare.* Verumtamen utrique Summi Imperii Eccleſiaſtici ſuavitate allecti, & ſolemnis ſui Sacramenti atque ſponſionis obliti, cunctas opes, conſilia, & ſtudia ſua ad retinendum Papatum contulerunt, ac ſumma cum impietate & Eccleſiæ ludibrio inter ſeſe colluſerunt. Quod ubi Academia Pariſienſis perſpexit, privatim & publice graves conſeruit expoſtulationes contra hujuſmodi abuſus & Eccleſiaſticæ diſciplinæ conturbationem, quam Curia Avinionenſis aut introduxerat aut introductam fovebat & augebat. Vix enim credibile eſt quantas deformitates in Eccleſiam invexerit, quæ partim Synodo Conſtantienſi & Baſileenſi abrogatæ fuerunt, partim hodie adhuc continuant Romæ, in Francia, Hiſpania, & aliis Provinciis. Hinc enim Clericorum ſpolia, hinc beneficiorum reſervationes, gratiæ expectativæ, mandata Pontificia, Commendæ, Annatæ, & ſimilia. Enimvero tum Pontifices per totum Galliæ Regnum bona mobilia Clericorum omnium morientium ſibi & curiæ ſuæ mancipabant idque *Spolia* vocabant. Præterea, in Eccleſiis Cathedralibus, verbi cauſa, ſi viginti aut triginta eſſent præbendæ, mediam partem illarum proxime vacaturarum curiæ fovendæ reſervabant, unde proventus Avinionem ferebantur: & interea dum qui ſupererant Canonici, cogebantur onus Officii perferre, ſicut ſolitum erat antea: idque cum face-

facere non poſſent, aliquando coacti ſunt fructus ſuarum Præbendarum diſpartiri aliis Sacerdotibus, qui eos juvarent in celebrando officio, ex quo evenit ut in multis Eccleſiis Cathedralibus hodie ſint præbendæ, quæ vix mediam partem proventuum aliarum præbendarum colligunt, ut Ambianis verbi cauſa. Similiter Pontifex Cardinalibus, aut aliis curialibus gratias largiebatur expectativas ſuper quæcumque Beneficia lubitum erat: eaque cum vacabant ſuis conferebat. Item alicui Eccleſiæ mandatum dabat, ne de hoc aut illo Beneficio diſponeret, quippe cum illud ſibi reſervaret, & cætera: ſicque nulla vacabant Beneficia. Item Annatas omnium Beneficiorum exigebat; quæ ſimiles Curiæ Romanæ exactiones *Regiis edictis* vocantur *tyrannides*, ut paulo poſt liquebit. Igitur Galliæ Rex & Principes Regii Sanguinis (quamquam ſtatu Galliæ maxime perturbato propter Caroli VI. intervalla) ſuaſionibus Pariſienſis Academiæ exciti, Bucicautium Franciæ Mareſcallum cum Exercitu miſit in Provinciam, ut Avinionem obſideret, & Benedictum Papam cogeret in ordinem: ſed fruſtra fuit hæc obſeſſio, quoniam Benedictus forti & conſtanti animo obſidionis incommoda pertulit, ejuſdem fratre Roderico de Luna Avinionem idemtidem annona recreante. Quocirca aliquanto poſt, id eſt, anno MCCCVI. die XXVI. Februarii ſequens Arreſtum factum eſt,

eſt, quo intolerabiles Curiæ Romanæ exactiones abdicantur.

„ VI. Carolus Dei gratia Francorum Rex „ univerſis præſentes Literas inſpecturis ſalu„ tem. Si dotare vel ditare novas Eccleſias, & „ veteres opibus ampliare, opus eſt perſpicuæ „ charitatis: at & multo præſtantius eſt rele„ vare depreſſas, gravatis congrua ſuffragia „ exhibere. Lamentabilem ſiquidem queri„ moniam noſtri, ac plurium Principum pro„ ſapiæ noſtræ, Procuratorum, nec non Præ„ latorum, Capitulorum, Collegiorum, Con„ ventuum, ac Cleri noſtri Regni, & Delphi„ natus, ac etiam dilectæ filiæ noſtræ Univer„ ſitatis Pariſienſis recepimus continentiæ ſub„ ſequentis. Videlicet, quod quamvis ſecun„ dum Apoſtolicam doctrinam Papæ poteſtas „ à Chriſto ſit ad Eccleſiæ ædificationem non „ ad deſtructionem ordinata, & ad juſtitiam „ rectumque judicium exercendum, cui nec „ competit pro libito facultas exactiones, an„ garias, & tyrannides ſuper Eccleſias aut ſub„ ditos exercendi, cum Dominus docuerit „ paſcere gregem & docere, non terrenis lu„ cris inhiare, aut avaritiis delectari, ſintque „ fructus Eccleſiarum & Beneficiorum quo„ rumcumque etiam vacantium, tam ſecun„ dum diſpoſitionem Conciliorum Genera„ lium & Jurium, quam ſecundum piam in„ tentionem Fundatorum, ordinati ad ſuſten„ tationem miniſtrantium in divinis, ipſiusque

„ divini

„ divini cultus augmentum, alimentationem
„ pauperum, redemptionem captivorum,
„ Eccleſiarum ſuorumque ædificiorum repa-
„ rationem, terrarum ac poſſeſſionum Eccle-
„ ſiæ culturam, jurium ipſarum conſervatio-
„ nem, cæterorumque omnium incumben-
„ tium ſupportationem: adeo etiam quod bo-
„ na per Prælatos poſt eorum obitum dimiſſa
„ futuris debent Succeſſoribus reſervari in
„ Eccleſiæ utilitatem convertenda, niſi forte
„ in illis locis Regni, ubi de uſu & conſuetu-
„ dine notorie obſervatis, licitum ſit Prælatis
„ ipſis, & aliis viris Eccleſiaſticis ſecularibus, de
„ eiſdem bonis facere Teſtamentum, quibus
„ etiam ab inteſtato in dictis bonis ſecundum
„ conſuetudinem & obſervantiam ſupradictas
„ ſui ſuccedunt hæredes. Quodque licet fuerit
„ decretis Sanctorum Patrum inſtitutum, ut
„ Prælati Eccleſias ſibi ſubditas annis ſingulis
„ viſitare deberent, quatenus ſic docerent in-
„ doctos, corrigerent exceſſus, mores refor-
„ marent. Eccleſias reſtaurarent, & cætera
„ Prælatis incumbentia ad Dei honorem exer-
„ cerent, ac per hoc procurationes in victua-
„ libus aut pecuniam reciperent ad optionem
„ viſitati: nihilominus tamen aliqui Collecto-
„ res, & alii Officiarii Romanorum Pontifi-
„ cum, præſertim Papæ moderni, ab aliqui-
„ bus annis citra Eccleſiam & viros Eccle-
„ ſiaſticos Præfatorum Regni, & Delphina-
„ tus noſtrorum contra prædicta plurimis ju-

„ gibusque & importabilibus ſervitutibus op-
„ preſſerunt & afflixerunt, potiſſime bona
„ Prælatorum & Virorum Eccleſiaſticorum
„ decedentium, tam regularium, quam ſecu-
„ larium, quæ *Spolia defunctorum* interdum
„ nuncupantur, reſervando & uſurpando
„ fructus Eccleſiæ tempore vacationis Præ-
„ laturarum aut Beneficiorum Eccleſiaſtico-
„ rum obvenientes, levando & capiendo ar-
„ ragia præteritorum & incognitorum tem-
„ porum tanquam debita, per fulminationem
„ cenſurarum Eccleſiaſticarum exigendo, à
„ beneficiatis quibuſcumque primam Anna-
„ tam expetendo & extorquendo, cujus An-
„ natæ medietatem, quoad majores dignita-
„ tes, Collegio Cardinalium conſueverunt
„ aſſignare, & Annatam hujuſmodi una cum
„ quadam pecuniæ ſumma, quam vocant
„ *minuta ſervitia*, & quam pro familiaribus
„ eſſe dicunt, cum exactione juramenti, & ſub
„ pœnis perjurii, & aliis diverſis pœnis & cen-
„ ſuris hactenus exegerunt. Procurationes
„ vero, quæ Prælatis & aliis ratione factæ vi-
„ ſitationis tantummodo debentur, capiendo
„ & levando in pecunia numerata, licet viſita-
„ tionis officio non impenſo. Ab illis autem,
„ quid ad procurationem nullatenus teneban-
„ tur, tantumdem, quod tunc vocant *æqui-*
„ *valens*, exigendo, decimas, & alia ſubſidia,
„ tractatu non habito cum Prælatis, pro libi-
„ to voluntatis imponendo. In his etiam exi-
„ gen-

„ gendis, ſicut nec modus, ſic nec miſericor-
„ dia, nec æqualitas ſervatur aut menſura. Et
„ cum Prælatis prohibeatur adminiſtrare ſine
„ Bullis, quidquid placet ſolvere inde com-
„ pelluntur, quoniam alias Bullæ nequaquam
„ expedirentur, prout dicunt, ex quo Bene-
„ ficium Eccleſiaſticum obtineri videtur cum
„ pretio vel mercede: quod pro bono com-
„ muni potius deberetur ſcientia aut virtute.
„ Sicque qui ſufficientiſſimi ſunt, ſi pauperes
„ fuerint, nullatenus promoventur. Propter
„ quæ alia innumera gravamina, ipſæ Eccle-
„ ſiæ, & monaſteria, & earum ædificia multis
„ in locis dictorum Regni noſtri & Delphi-
„ natus irreparabiliter corruunt, hæreditagia
„ conſpiciuntur inculta, immobilia interdum
„ de facto alienantur aut impignorantur, mo-
„ bilia etiam pretioſa, reliquiarum vaſa, Ec-
„ cleſiaſtica ornamenta, calices, libri, & ſimi-
„ lia interdum etiam vili pretio diſtrahuntur,
„ nemora non cædua frequentius inciduntur
„ & venundantur, & Eccleſiæ innumerabi-
„ lium mole debitorum importabiliter one-
„ rantur: propter quod numerus Deo ſer-
„ vientium miniſtrorum, quia ſuſtentari in
„ conſueto numero non valeret, minuitur: &
„ qui remanent Deo & Eccleſiæ ſervientes,
„ propter frequentes excommunicationes &
„ cenſuras occaſione dictarum exactionum,
„ quibus etiam ſatisfacere non valerent,
„ de facto prolatas, à divino ſervitio pluri-

„ mum retrahuntur, & interdum aliqui mendicare compelluntur, & ad maximam penuriam rediguntur, non habentes de quo valeant, Deo ſerviendo, aut in ſtudiis exiſtendo ſive commorando, ſuſtentari, & Regnum noſtrum, quod inter alia regna viris ſcientificis communiter floruit, per quod Regni noſtri prædicti juſtitia conſuevit gubernari, his temporibus, proh dolor! nimium vacuatur: inde cultus divinus, & opera charitatis, quæ fieri deberent, multipliciter defraudantur & ceſſant: intentio fundatorum non ſervatur: his etiam modis Regnum redditur pecuniis & opibus plurimum depauperatum, & infinita vixque enarrabilia ſcandala quotidie oriuntur. Quæ omnia, licet ſint ad oculum ſatis manifeſta, & fini, ad quem eſt Papæ poteſtas ordinata, de directo cenſeantur obviare, fueritque Papa modernus & alii Prædeceſſores ſui ſuper revocatione aut moderatione dictorum gravaminum, ac de congregando Concilium Generale, ad providendum ſuper præmiſſis, pluries requiſiti, attamen ſic omnia abſque remedio continuatione diuturna perdurarunt, donec dudum ſuper quibusdam per noſtram Regiam ordinationem, & noviſſime ſuper aliis ex dictis gravaminibus per quoddam Arreſtum Curiæ noſtræ Parlamenti ſub ea forma pronunciatum, quod ceſſarent uſque quo per eandem Cu-
„ riam

„riam fuiſſet aliter ordinatum, proviſum ex-
„titiſſet, & ut ad perpetuum uberius & ple-
nius provideretur in prædictis nuper per Pro-
„curatorem noſtrum Regium in Concilio
„Prælatorum & Cleri dictarum Eccleſia-
„rum Regni & Delphinatus Pariſiis celebra-
„to, ubi erant Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ab-
„bates, & Prælati, ac Procuratores Capitu-
„lorum, & Collegiorum, & Univerſitatum,
„& alii Viri Eccleſiaſtici, & notabiles in gran-
„di numero ſolemniter congregati, ubi etiam
„conſanguineus noſter Ludovicus Rex Si-
„ciliæ, & Primogenitus noſter Dux Aquita-
„niæ Delphinusque Viennenſis, & Duces
„Bituriæ Patruus, Burgundiæ, conſangui-
„neus, & Borbonii Avunculus noſter, pro
„nobis illic tunc præſidebant, propoſitum
„fuit & requiſitum, quod exactiones & gra-
„vamina ſuperius declarata ceſſarent penitus
„& omnino. SUPER QUO, plurimis & re-
„petitis intervenientibus diſcuſſionibus ma-
„turis, per Prælatos & alios Viros Eccleſia-
„ſticos ſupradictos deliberatum extitit &
„concluſum: quod attentis illis, quæ ſupra
„præmiſſa ſunt, & aliis attendendis, talia gra-
„vamina & uſurpationes ſecundum Deum &
„conſcientiam non poterant commode aut
„debebant amplius tolerari: humiliter ſup-
„plicantes; quatenus ad Dei laudem, Rei-
„quepublicæ utilitatem, & Eccleſiaſticæ
„libertatis, dictarumque Eccleſiarum Re-



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

„gni & Delphinatus conſervationem, ſuper
„prædictis efficaciter & ad perpetuum de
„remedio opportuno providere dignare-
„mur, & prædicta omnia & ſingula grava-
„mina ceſſare faciendo, & nihilominus
„prædictas ordinationes alias per nos factas,
„& dictum Arreſtum Parlamenti confirman-
„do, & ad perpetuum extendendo, no-
„ſtram ſuper hoc ordinationem Regiam ubi-
„que publicari, teneri, & obſervari fa-
„ceremus.

„Nos igitur attendentes, quod ad
„ſtabilitatem Eccleſiæ eſt Poteſtas Regia
„divinitus ordinata, & quod per Regnum
„terrennum cæleſte Regnum tunc proficit,
„quando deſtruentes Eccleſiam rigore Prin-
„cipum conteruntur: imo Sacri Canones,
„quando talia per majores Eccleſiæ perpe-
„trantur, ad Reges docent habere recur-
„ſum, & quod in illis, de quibus notorie
„turbatur ſtatus Eccleſiæ, etiam Papæ non
„obediri conſulunt ſancti Doctores, reco-
„gnoſcentes, ut tenemur, quod propter
„Eccleſiam, quam (in quantum ad nos
„ſpectat) etiam ex ſpeciali debito juramenti
„à Chriſto tuendam ſuſcepimus, Deo ſumus
„rationem reddituri, progenitorum noſtro-
„rum exemplis edocti, qui Sacroſanctas Dei
„Eccleſias & Viros Eccleſiaſticos zelo fidei
„ac piæ devotionis accenſi immenſis muneri-
„bus atque Privilegiis munientes. Eccleſias
ædi-

„ ædificantes, & contritas reſtaurantes, eas
„ à concuſſionibus & quibuſlibet novitatibus
„ indebitis præſervare curarunt, quarum
„ etiam nos prompti Defenſores & Pugiles
„ exiſtere gloriamur. Prædictis omnibus cum
„ debita præmeditatione penſatis, habita
„ etiam prius deliberatione cum Principibus
„ noſtræ regalis proſapiæ, ac aliis proceri-
„ bus, multisque Viris prudentibus ac nota-
„ bilibus Eccleſiaſticis ac ſecularibus Regni
„ noſtri nobis in conſilio modo aſſiſtentibus,
„ tam gravem & manifeſtam deformationem
„ atque deſtructionem Eccleſiarum prædi-
„ ctarum Regni ac Delphinatus, Virorum-
„ que Eccleſiaſticorum deſolationem ſub con-
„ niventia diſſimulare ulterius non valentes
„ nec volentes. ORDINAVIMUS, ET TE-
„ NORE PRÆSENTIUM ORDINAMUS,
„ quod omnes & ſingulæ exactiones, & quæ-
„ cumque gravamina ſuperius declarata &
„ enarrata ceſſare debeant, & ceſſabunt à
„ modo in noſtris Regno & Delphinatu præ-
„ dictis, & illa, quæ per dictum Arreſtum
„ Curiæ noſtræ Parlamenti circa hoc fuerunt,
„ donec fuiſſet aliud ordinatum, dicta &
„ pronunciata de cætero in dictis Regno &
„ Delphinatu perpetuo tenebuntur & invio-
„ labiliter ſervabuntur. Hæc autem omnia
„ ſcripto præſenti annotari publicarique, &
„ inter noſtras Regias ordinationes regiſtrari
„ mandavimus, ut preſentium Literarum in-

„ terventu plenam inde notitiam habeat po-
„ ſteritas Succeſſura. Quocirca dilectis & fide-
„ libus Conſiliariis noſtris præſens tenentibus
„ aut qui futurum noſtrum tenebunt Parla-
„ mentum, omnibuſque Juſtitiariis Regni &
„ Delphinatus noſtrorum, cæteriſque Offi-
„ ciariis & ſubditis noſtris mandamus, eorum
„ cuilibet, prout ad eum pertinuerit, di-
„ ſtrictius injungentes, quatenus noſtram
„ præſentem ordinationem ac voluntatem te-
„ neant, cuſtodiantque, & conſervent in ſua
„ roboris firmitate, & ab omnibus ſubditis &
„ incolis Regni & Delphinatus noſtrorum
„ prædictorum inviolabiliter faciant in omni-
„ bus & per omnia obſervari, ubi & quando
„ opus erit aut requiſiti fuerint publicari fa-
„ cientes. In cujus rei teſtimonium præſenti-
„ bus Literis noſtrum juſſimus apponi ſigil-
„ lum. Datum Pariſiis XXVIII. die Februarii
„ anno Domini MCCCCVI. & Regni noſtri
„ XXVI.

Aliquanto poſt hoc Senatuſconſultum Regium promulgatum Rex Chriſtianiſſimus Concilium Eccleſiæ Gallicanæ convocavit, in quo ſtatutum eſt: *Ut Gallicana Eccleſia in ſe & in membris ſuis ad ſuas antiquas & legitimas libertates reduceretur, nominatim in collatione Beneficiorum per Ordinarios, & in electionibus faciendis*: Ut Gerſonius perhibet in diſcuſſione hujus aſſertionis: *Sententia Paſtoris etiam injuſta tenenda eſt.* Dehinc pedetentim ven-

ventum eſt, ad ſubſtractionem ab obedientia Benedicti: Acta illius temporis vocant *Neutralitatem*: quia tum Gallia neutri Pontificum obtemperabat. At eodem anno M CCCC VI. cum malum ingraveſceret, hoc aliud Senatuſconſultum procurante & poſtulante Academia Pariſienſi datum eſt.

„Carolus Dei gratia Francorum Rex „Univerſis præſentes Literas inſpecturis ſalu„tem. Notum facimus, quod cum nuper pro „parte quamplurimorum numero grandi Re„gni noſtri Prælatorum Pariſiis tunc exiſten„tium, necnon filiæ noſtræ dilectæ Univerſi„tatis ſtudii Pariſienſis nobis queruloſe fuiſſet „expoſitum, quod Eccleſiæ noſtrorum præ„dicti Regni & Delphinatus Viennenſis pro „magnitudine gravium exactionum & one„rum eiſdem Eccleſiis, tam per Benedictum „Papam XIII. quam ſuos Anteceſſores con„tra communis diſpoſitionem juris impoſita„rum oppreſſæ, atque in tantum gravatæ „hactenus fuerant & erant, quod eædem in „magnam pauperiem ac ruinam corruebant, „& in deſolationem undequaque vergebant, „niſi per nos de remedio ſublevarentur: Fi„nantiæ etiam ſuper iiſdem Eccleſiis exactæ „de eodem Regno noſtro in magnum & irre„parabile Reipublicæ Regni ejuſdem noſtri „præjudicium exportabantur à nobis, qui„bus Eccleſiam præſertim ſupradictorum „Regni & Delphinatus noſtrum ab omni op-

„ preſſione præſervare incumbebat, & unde
„ ſpecialiter adſtricti & obligati Deo Creato-
„ ri noſtro rationem eramus reddituri: humili-
„ ter ſupplicando, quatenus Eccleſiis memo-
„ ratis ſuper præmiſſis exactionibus & grava-
„ minibus eas ceſſare faciendo providere di-
„ gnaremur, ut miniſtri & aliæ Eccleſiaſticæ
„ Perſonæ divinis inſiſtentes & famulantes vi-
„ vere, Eccleſias ſibi conceſſas regere, earum
„ ædificia in bono & decenti ſtatu tenere,
„ aliosque actus ſuam Profeſſionem & Fun-
„ datorum ſuorum diſpoſitionem concernen-
„ tes exercere valerent: Et ob hoc nonnulli
„ & plures de noſtro magno Conſilio ad vi-
„ dendum & deliberandum ſuper his & aliis
„ Eccleſiam prædictam tangentibus, quid ra-
„ tionabiliter fieri poſſet & deberet, dudum
„ commiſſi & deputati aliqua nobis ſuper
„ dictis exactionibus referenda vidiſſent & ad-
„ viſaſſent ſeu deliberaſſent: quia tamen Præ-
„ latis & filiæ noſtræ præfatæ videbatur
„ dictam deliberationem largius declarandam
„ fore: iidem Prælati & filia noſtra aliquas
„ Declarationes & Additiones cum delibera-
„ tione & adviſamento ſupradictorum noſtro-
„ rum Conſiliariorum feciſſent, eaſque no-
„ ſtræ Parlamenti Curiæ cum nominibus
„ dictorum noſtrorum Conſiliariorum, qui
„ dictæ deliberationi præſentes adfuerant, in
„ quadam Schedula ſub noſtro contraſigillo
„ miſiſſemus, & per Literas noſtras patentes
„ eidem

„ eidem Curiæ noſtræ mandaſſemus, & eidem
„ poteſtatem & auctoritatem impartiendo
„ expreſſe injunxiſſemus, quatenus ad ean-
„ dem Curiam advocatis & accerſitis de no-
„ ſtro prædicto magno Conſilio, & Requeſtis
„ noſtri Hoſpitii tot & talibus, prout eidem
„ Curiæ noſtræ bonum videretur, ipſa noſtra
„ Curia Eccleſiæ prædictorum Regni & Del-
„ phinatus noſtrorum ſuper contentis in dicta
„ Schedulâ provideret, ſecundum quod no-
„ bis eſſe faciendum conſuleret, prout hæc &
„ alia latius & luculentius ex ipſarum noſtra-
„ rum ſerie ac tenore Literarum liquebant.
„ Conſtitutis propter hoc in eadem noſtra
„ Curia Procuratoribus noſtro Generali, nec
„ non chariſſimi Patrui noſtri Ducis Bituri-
„ cenſis, & ipſa filia noſtra Univerſitate Pari-
„ ſienſi, pro parte ejuſdem filiæ noſtræ ſub his
„ verbis Apoſtolicis: *Subtrahatis vos ab omni*
„ *fratre ambulante inordinate*, propoſitum
„ fuit: Quod Sacroſancta Mater
„ noſtra Eccleſia entium ad inſtar naturalium
„ & politiarum, macrocoſmi videlicet & mi-
„ crocoſmi (qui ſunt major & minor mun-
„ dus) in pondere, numero & menſura à Sum-
„ mo Creatore (Philoſophis atteſtantibus)
„ conditore dirigi debeat atque regi in ordine:
„ quorum elementis quatuor primam diſtri-
„ buerat materiam idem Creator omnium in
„ ſuam grandem naturæ portionem, eorum
„ cuilibet totaliter conferendo quantum al-
„ teri,

Digitized by Google

„ teri, & iiſdem ex ſe invicem viciſſitudinem
„ ſui alimenti & ſuſtentamenti referendo:
„ adeo ut quod unum ipſorum ſub Æqui-
„ noctiali, vel Polo per alterius converſio-
„ nem deperderet, de alio recipere, & ſibi
„ reſtaurare ipſius naturæ munere & inſtin-
„ ctu, & increatæ ſapientiæ providentia di-
„ gnoſceretur. Sic Regalis, ſic Ariſtocratiæ,
„ & Timocratiæ politiarum, nullius qua-
„ rum Rectorem nutrimentum ſeu ipſorum
„ majorem partem omnium ſubjectorum
„ aut inferiorum abſorbere ullus unquam
„ ſufficeret: quemadmodum in Microcoſmo,
„ ſi ad exceſſum alterum membrorum ali-
„ moniam cæteris egentibus ſumeret, unde
„ corpus ipſum in languorem & exinanitio-
„ nem vergere contingeret, medio quodam
„ ſubſtractivo ſeu reſtrictivo hujuſmodi ſu-
„ perabundanti membro eſſet occurrendum.
„ Sed Benedictus ſupradictus neque modum,
„ neque pondus, neque menſuram in Eccle-
„ ſiæ ſubjectis obſervare conſueverat: quin
„ magis ipſos jugis & ſervitutibus importa-
„ bilibus à nonnullis defunctorum Succeſſo-
„ ribus ſpolia auferendo, ab aliis Prælatura-
„ rum & Beneficiorum Eccleſiaſticorum va-
„ cantias extorquendo, à quibuſdam exigen-
„ do arreragia, tanquam debita præterito-
„ rum & incognitorum temporum: à bene-
„ ficiatis ſuorum, quæ de novo obtinebant,
„ Beneficiorum primam expetendo & perci-
„ piendo

„ piendo annatam: ab his, qui tempore ſub-
„ ſtractionis obedientiæ dudum ſibi per nos
„ & Clerum Regni ac Delphinatus noſtro-
„ rum prædictorum factæ ad Prælaturas ſeu
„ Dignitates aut alia Eccleſiaſtica Beneficia
„ promoti fuerant, fructus, quos prædictæ
„ ſubſtractionis tempore male perceptos
„ fuiſſe dicebat, recipere enitendo, & pro-
„ curationes capiendo à Prælatis, Archidia-
„ conis, & aliis Ordinariis pro viſitatione de-
„ bitas, aliisque exactionibus ac extorſioni-
„ bus indebitis adegerat, affecerat, & con-
„ torſerat, adigebat, afficiebat, & contor-
„ quebat, contra jura non tam Chriſticola-
„ rum, quam Ethnicorum quorumcumque,
„ apud quos & ab omni tempore Clerum ab
„ omni munere & ſervitute fuiſſe liberum
„ compertum erat. Eos enim non ancillæ
„ filios ſed liberæ, qua libertate Chriſtus eos
„ liberaverat, teſte Apoſtolo ipſosque ſub
„ his adhortante verbis: *State, & nolite ite-*
„ *rum jugo ſervitutis contineri.* Nam (ut ea-
„ dem noſtra filia dicebat) quis Principem
„ tam à nobili quam ignobili Annatas primas
„ omnium hæreditariorum in aliquem quo-
„ quo titulo tranſlatorum excipere & extor-
„ quere ſatagentem non tyrannum aut ſuæ
„ politiæ everſorem cenſeret, & talem
„ Rectorem ſuſtinere valeret? Quanto mi-
„ nus erat idem Benedictus, qui Miniſter &
„ non Dominus Eccleſiæ ab Euangelica ve-
„ rita-

„ ritate aſſerebatur, primarum Annatarum
„ fructus ſibi tyrannice appropriaus Benefi-
„ ciorum tolerandus? Illud parvipendens
„ Samuelis in Regum libro I. populum al-
„ loquentis & dicentis: *Loquimini de me co-*
„ *ram Domino, & coram Chriſto ejus utrum bo-*
„ *vem alicujus tulerim vel aſinum: ſi quempiam*
„ *calumniatus ſum: ſi oppreſſi aliquem: ſi de ma-*
„ *nu cujuſquam munus accepi, & reſtituam vo-*
„ *bis. Ac dixerunt: Non es calumniatus, nec*
„ *oppreſſiſti nos, neque tuliſti de manu alicujus*
„ *quidpiam.* Exemplo tamen cujus inſtrui,
„ & terminis rationabilibus contentari: non
„ exactioni & concuſſioni pecuniarum ty-
„ rannicis inhiare debebat, Euangelio ex-
„ hortante, *Neminem concutere, neque calu-*
„ *mniam facere, & contentum eſſe debere ſtipen-*
„ *diis*, ipſius Apoſtoli exemplo in Apoſtolo-
„ rum actibus dicentis: *Argentum & Au-*
„ *rum nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis; quoniam*
„ *ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui me-*
„ *cum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ. Ego*, in-
„ quit Apoſtolus, *ſcio, quoniam poſt diſceſſum*
„ *meum intrabunt lupi rapaces in vos non par-*
„ *centes gregi.* Quam rapacitatem ſpiritu Pro-
„ phetico clare proponebat ipſa filia noſtra
„ pronunciaſſe Prophetam Ezechielem ſub
„ his verbis: *Facti ſunt greges mei in rapinam,*
„ *& Oves meæ in devorationem eo quod non erat*
„ *Paſtor. Neque enim quæſierunt Paſtores gre-*
„ *gem meum, ſed paſcebant Paſtores ſemetipſos,*
„ *& gre-*

„ *& greges non paſcebant. Propterea*, inquit
„ Dominus, *ceſſare eos faciam, ut ultra non pa-*
„ *ſcant gregem meum; & liberabo gregem meum*
„ *ab ore eorum, & non erit eis ultra in eſcam.*
„ Ex qua clarum eſt Prophetia, Domino
„ Benedicto ſupradicto, qui tanta confu-
„ ſione & inordinatione cupiditatis debaccha-
„ batur, ſubſtractionem, nedum finantia-
„ rum ſupradictarum ſibi fieri debere, ſed
„ plenariam: quamvis alias & dudum ſibi fa-
„ ctam & jure & facto durare ac tenere cen-
„ ſeret, & in eadem ſe permanere profiteba-
„ tur eadem filia noſtra: & eo præſertim quod
„ reſtitutionem obedientiæ per nos eidem
„ Benedicto factam nullam eſſe, quæ ſub
„ conditione non impleta, & ſub cauſa, cujus
„ nullus ſequebatur effectus factam, prout
„ per ſchedulas quaſdam in ipſa reſtitutione
„ contentas apparere dicebat. Eccleſiæ etiam
„ Regni ac Delphinatus noſtrorum prædi-
„ ctorum auctoritate dictam reſtitutionem
„ minime factam, & per conſequens ipſam
„ ſubſtractionem durare, ſeu ipſam, aut ſal-
„ tem dictarum pecuniarum & finantiarum
„ eidem Benedicto fieri debere: quum idem
„ Benedictus ad deſtruendum Eccleſiaſticam
„ poteſtatem (non hominis, Apoſtolo teſte,
„ contra ſanctæ Synodi auctoritatem defi-
„ nientis, nullum Epiſcopum expetere de-
„ bere aurum & argentum à Parentibus, vel
„ Clericis, vel Monachis, qui ſub eo ſunt,
„ & Gre-

„& Gregorii, Bernardi, & aliorum ſancto-
„rum Doctorum, imo Euangelii auctori-
„tatem) dictas finantias in Eccleſiæ prædi-
„ctæ ſubverſionem & exitium extorqueret.
„Eandem autem ſubſtractionem per eandem
„noſtram Curiam & Prælatorum, & dictæ
„filiæ noſtræ Conſilio faciendam eſſe dicebat
„eadem filia noſtra exemplo Regis Joas, qui
„conſilio Jojadæ Sacerdotis pecuniis ad tem-
„pli reparationem deſtinatis, quibus Sacerdo-
„tes ſui temporis abutebantur, manum ap-
„poſuerat, & earum partem ad neceſſitatem
„divinis famulantium, partem ad mercedem
„Latomorum, & partem in Architectorum
„Salarium partiebatur: Unde dictum in ipſius
„laudem prodierat, *quod Rex Joas rectum fece-*
„*rat coram Domino cunctis diebus, quibus eum*
„*docuerat Jojada Sacerdos*: per quem eadem
„filia noſtra ſummos Doctores intelligi dice-
„bat: & quod ejuſdem Eccleſiæ oppreſſioni
„providere nobis, aut eidem Curiæ noſtræ
„incumberet, & auctoritate, & naturali ra-
„tione, & proprii jurisjurandi debito, & An-
„teceſſorum noſtrorum exemplo, apparere
„eadem filia noſtra oſtendebat, Ambroſii in
„libro de Patriarchis neceſſitatem defenſio-
„nis Eccleſiarum Regi pertinere aſſerentis.
„Recto præterea rationis dictamine, quo
„Gentes etiam, quæ legem non habent,
„eidem Benedicto dictarum finantiarum ex-
„actionem eſſe ſubtrahendam diffinirent: ad
„quod

„ quod proprii vinculum juramenti noſtræ
„ coronationis, in qua unicuique de Prælatis
„ & Eccleſiis ſibi commiſſis CANONICUM
„ PRIVILEGIUM, ET JUSTITIAM SER-
„ VARE, *& defenſionem pro poſſe contra Oppreſ-*
„ *ſores adhibere promiſeramus*; nos adigebat ac
„ ſpecialiter adſtringebat. In exemplum erant
„ Rex Joas prædictus, Prædeceſſoreſque noſ-
„ tri temporibus Bonifacii, Clementis, Grego-
„ rii, & aliorum quondam Summorum Ponti-
„ ficum. Per hujusmodi enim injuſtas exactio-
„ nes piæ fundatorum Beneficiorum frauda-
„ bantur intentiones; & à ſua ſalute & gloria
„ defunctorum animæ morabantur captivæ.
„ Quod ſi eorum hoſtes & veritatis Suppreſſo-
„ res hanc perſequutionem & inobedientiam
„ eſſe prætenderent, *Cum Deo magis quam ho-*
„ *minibus eſſet obediendum*, hæc hominum vani-
„ loquia (Papa Pelagio aſſerente) nos nequa-
„ quam retardare deberent: *Errant*, inquit,
„ *hujuſmodi erroris Fabulatores: non perſequi-*
„ *tur, qui malum jam factum punit, aut prohibet*
„ *ne fiat, ſed diligit*. Ex quibus, conformiter
„ ad ſui thematis verba, eadem filia noſtra
„ requirendo concludebat, quatenus ſub-
„ ſtractio fieret eidem Benedicto obedientiæ,
„ aut ſaltem dictarum finantiarum & pecu-
„ niarum exactionis: quodque pecuniæ in
„ manibus Collectorum aut Subcollectorum
„ exiſtentes in noſtra arreſtentur manu; &
„ iis, qui eidem Benedicto aliquid occaſione

„prædictorum debere imponebatur, ne ſol-
„verent inhiberetur. Procuratoribus Ge-
„nerali noſtro, ac dicti noſtri Patrui ſub ex-
„cuſatione proteſtantibus, ſe non affectio-
„nis inordinatæ libidine aliquid dicere velle;
„& ſe, ſi notæ aut reprehenſionis dignum ali-
„quid dicerent, debitæ correctioni ſubmit-
„tentes: ac ulterius proponentes, quod Ec-
„cleſiæ fuerant, & erant per Principes tem-
„porales fundatæ ac dotatæ, quarum dos ſeu
„patrimonium auctoritate capi nequibat aut
„debebat. Licet enim Conſtantinus [*Diſt.96.*
„*can. Conſtantinus.* & L. *Inter claras. Cod. de*
„*Summa Trinitate.*] Eccleſiæ Romanæ Se-
„dis præeminentiam, quam ſibi dari Con-
„ſtantinopolitana, Alexandrinaque, & aliæ
„nonnullæ Eccleſiæ contendebant, tribuiſ-
„ſet, ratioque ſuaderet & vellet ut Prælati,
„qui fidem publicarent, divinis inſiſterent,
„Eccleſiaſtica frequentarent officia, & ſa-
„cramenta miniſtrarent, neceſſaria refer-
„rent ſui ſtatus & vitæ, non tamen intellige-
„bat, quod ipſi exactiones imponerent,
„nulla præſertim urgente neceſſitate. Nam
„Archiepiſcopos (quo nomine Romanæ ur-
„bis Epiſcopum Synodi nuncupant) ſu-
„per ſuis ſuffraganeis, ſeu eorum ſubjectis
„exactiones imponere jura vetebant. Quod
„ſi Eccleſia Romana cæterarum caput &
„principalis exiſtens, ut ſunt ſeculi varieta-
„tes, & viciſſitudines temporum, & men-
„tium

Digitized by Google

„ tium & animorum malitia, in, aut à ſuo
„ (quod majus & auctius Regno noſtro poſ-
„ ſidebat) patrimonio ſorte aliqua diſturba-
„ tur, quo minus ipſo libere uteretur, cæte-
„ ras movere debebat Eccleſias, excitare, ad-
„ hortari, & requirere de ſubſidio charitati-
„ vo, quod eidem Eccleſiæ Romanæ annui
„ poſſet & deberet, cum tamen conſilio,
„ moderamine, & juſta cauſa, abſque præ-
„ judicio, culpa non præcedente, durante
„ neceſſitate, ac de conſenſu ac benignitate
„ Principum, Patronorum, & aliorum Præ-
„ latorum, & non cum gravamine aſſiduo &
„ indiſtincto cæterarum Eccleſiarum: quas
„ utique, & præſertim horum noſtrorum
„ Regni & Delphinatus ſupradictus Bene-
„ dictus paſſim & Phariſæorum more, qui
„ decimas indifferenter de plantulis, herbis,
„ baccis, & omnis generis fructibus extor-
„ quebant, cum gravi compulſione, ſubſi-
„ diis & exactionibus inſolitis, & contra li-
„ bertates Eccleſiæ exagitabat & premebat:
„ quibus cum ſecularis juſtitia Eccleſiaſticæ
„ ſubſidio & juvamini ſemper fuiſſet (alterum
„ enim alterius ſemper egebat auxilio) ne-
„ ceſſitas occurſandum impellebat, ſuadebat
„ æquitas, exigebat ratio, ac totius clamor
„ populi incutiebat: præterea intereſſe no-
„ ſtrum huic ruinæ impendens nos ſtimula-
„ bat, ne venerabilium hujus noſtri regni Ec-
„ cleſiarum tanto charitatis ardore exſtru-

 „cta-

„ ctarum, & quarum fundatores & aucto-
„ res dicebamur, tam miſera, tam flebilis,
„ & tam neglecta ſubreperet deſtructio:
„ exempliſque inſtrueremur egregiis Theo-
„ doſii, Honorii, Conſtantini, Caroli Ma-
„ gni, aliorumque anteceſſorum, qui cor-
„ ruptelis contra Eccleſiam ipſam quandoque
„ attentatis ſolerter obviarant ac ſuccurrerant
„ liberaliter, Subſidium autem, quod Ec-
„ cleſiæ eidem conferre poteramus & de-
„ bebamus, erat eidem Benedicto in hu-
„ juſmodi abuſibus non obedire, obe-
„ dientiamque ſubſtrahere, in quo nullate-
„ nus juxta beati Thomæ de Aquino, & alio-
„ rum Eccleſiæ Doctorum authenticorum
„ doctrinam peccabamus. Ex quibus aliis plu-
„ ribus concludebant ac requirebant, quate-
„ nus eadem Curia noſtra juxta noſtras man-
„ datorias Literas inhibendo dicti Benedicti
„ Officiariis, ne quas ratione præmiſſorum
„ exigerent in dictis Regno & Delphinatu
„ noſtris pecunias, & exactas & penes eoſ-
„ dem Officiarios exiſtentes arreſtari, uſque
„ ad Prælatorum Congregationem facien-
„ dam provideret. * PRO PARTE BENE-
„ DICTI, & ſuæ cameræ Officiariorum ab
„ adverſo extitit requirendo propoſitum,
„ quod cum materia præagitata grandis & al-
„ ta jura Sedis Romanæ, cujus erat ipſe Be-
„ nedictus caput, ſuamque cameram, &
„ an-

* *Acta Officiariorum Papæ.*

„ antiqua debueria ſua, ac Cardinales con-
„ cerneret & tangeret, iidem Benedictus,
„ & Cardinales nullo in noſtra Curia Procu-
„ ratore fulcirentur, quo cauſa præſens de-
„ duci, foveri poſſet, aut defenſari: & Præ-
„ lati noſtri Regni ad proximum omnium
„ Sanctorum Feſtum congregandi diceren-
„ tur, in cujus temporis interſtitio nullum
„ vertebatur periculum, eadem noſtra Cu-
„ ria ſuperſedere vellet, prout tenebatur.
„ † PRÆFATA FILIA NOSTRA in con-
„ trarium proponente ac dicente, quod ra-
„ dix pro parte ipſius Benedicti propoſitorum
„ invalida cenſeri debebat, eò quod eadem
„ filia noſtra proceſſum ſubire ordinarium
„ non intendebat, ſed ſibi ab ipſa noſtra Cu-
„ ria proviſionem fieri; quam abſque mora
„ referre debebat: nam quantuſcumque eſ-
„ ſet Papa, ſeu Prælatus, non erat ſuus;
„ ſed omnis ejus poteſtas ſive dignitas, &
„ alius cujuſlibet, *magis Eccleſiæ quam perſonæ.*
„ De jure igitur Benedicti ſive Eccleſiæ Ro-
„ manæ faciendum erat quod ad profectum
„ pertinere videbatur Eccleſiæ, & non in
„ ipſius præjudicium, teſte Apoſtolo, Ec-
„ cleſiæ ſuppoſita ſub his compellante ver-
„ bis: *Templum Dei eſtis vos, & Spiritus*
„ *ſanctus habitat in vobis: ſi quis illud violave-*
„ *rit, diſperdet illum Dominus.* Subdit: *Non*
„ *glorietur quis in hominibus: Omnia enim veſtra*

 „ *ſunt,*

† *Pariſienſis Academiæ replicatio.*

Digitized by Google

„*ſunt, ſive Cephas, ſive Paulus, ſive Apollo.*
„Pecuniæ autem ſive Financiæ, quas idem
„Benedictus exigebat, non ad Eccleſiæ pro-
„fectum, ſed ipſius & animarum tendebant
„interitum, cujus interitus & præſentis hor-
„rendi ſchiſmatis erant medium & fomes.
„Quare à nobis & eadem noſtra Curia, qui-
„bus juſtitiam miniſtrare erat neceſſe, hu-
„juſmodi mortiferæ peſtilentiæ non tam
„rejiciendæ quam penitus & abſque ulla
„mora tollendæ erant, cum & unuinquem-
„que jure gentium gladium de manu inter-
„fectoris confeſtim eruere, & vim vi repel-
„lendo interficere liceret. Ex his (prout
„ſupra) requirendo, dictis noſtro & Patrui
„noſtri Procuratoribus ſuam Requeſtam
„fieri requirentibus: attento quod per no-
„torias exactiones ſæpe dictas Reſpublica ex
„defectu prædicationum, & ſubjectarum
„viſitationum, & correctionum, & alias
„(ut ſupra) multipliciter contra Sacrorum
„Canonum inſtitutiones gravabatur: quod-
„que querelas ſuas non proceſſum inituri,
„ſed remedio aut proviſioni innitentes in-
„tentabant: nec erat qui contrarium oppo-
„neret. Ad hoc, & (ut ſupra) concluden-
„tibus: OFFICIARIIS IPSIUS BE-
„NEDICTI in contendentibus, & ut ne-
„gotium abſque præcipitatione protelare-
„tur, quantum pro abſentibus ſupplicari
„fas erat, prout ſupra, inſtantibus, nec
„quic-

„quicquam innovaretur requirendo con-
„cludentibus.

„TANDEM AUDITIS HINC INDE ad „plenum partibus antedictis in omnibus „quæ dicere ac proponere circa præmiſſa „voluerunt, & in Arreſto appunctuatis: „Congretatis igitur ejuſdem noſtræ Curiæ „noſtri Parlamenti Cameris, convocatiſque „& aſtantibus in notabili numero degenti- „bus noſtri magni Conſilii, ac viſis ſupra- „dictis literis & ſchedula: Conſideratis in- „ſuper & attentis diligenter & cum magna „& longa deliberatione omnibus circa hæc „attendendis & conſiderandis, & quæ ean- „dem noſtram Curiam in hac parte pote- „rant & debebant movere, per præfatæ „Curiæ noſtræ Arreſtum, prædictis ob- „temperando literis per eandem filiam no- „ſtram à nobis impetratis dictum fuit: QUOD „DICTUS BENEDICTUS, ET OFFI- „CIARII SUI ceſſabunt in noſtris Re- „gno, & Delphinatu ab exactionibus An- „natarum primarum, fructuum, & emolu- „mentorum Prælaturarum, Dignitatum, „& aliorum Beneficiorum quorumcumque „vacantium, ſeu quæ vacaverant, aut va- „cabunt, tum pro primis Annatis, quam „etiam fructuum & emolumentorum, qui „tempore ſubſtractionis alias eidem Bene- „dicto factæ, & vacationis Prælaturarum, „Dignitatum, & aliorum Beneficiorum ob-

„venerunt, ſeu obveniunt qualitercumque,
„nec non procurationum pro viſitationibus
„debitarum, & arreragiorum quorum-
„cumque ratione præmiſſorum, vel alia-
„rum exactionum debitarum: ipſaſque pro-
„curationes poterunt Prælati, Archidiaco-
„coni, & alii Ordinarii, quando ipſos ſuos
„ſubjectos viſitare contigerit, levare. Ceſ-
„ſabunt etiam Cardinales, & Camerarius
„Collegii à perceptione illius partis, quam
„in vacationibus Prælaturarum pro primis
„Annatis, vel alias ante præſens Arreſtum
„percipiebant, & arreragiorum quorum-
„cumque occaſione præmiſſà debitorum.
„Et ſi aliquid ex his, quæ levata ſeu exacta
„fuerunt occaſione prædictorum, apud Col-
„lectores ſeu Subcollectores aut alios quoſ-
„cumque exiſtit ſeu remanet, ſub manu
„noſtra arreſtabitur, & id areſtavit & ar-
„reſtat ipſa Curia noſtra. Ipſiſque, ne ali-
„quid eidem Benedicto, ſeu cuicumque al-
„teri tradant, aut ſolvant, inhibebitur, &
„inhibet etiam eadem Curia noſtra. Et per
„idem Arreſtum eadem Curia noſtra ordi-
„navit & ordinat, quod excommunicatio-
„nis ſententia, præmiſſorum occaſione illi-
„gati relaxabuntur: & hæc quouſque alias
„per eandem Curiam noſtram extiterit ſu-
„per præmiſſis ordinatum. In cujus rei te-
„ſtimonium præſentibus Literis noſtrum
„juſſimus apponi ſigillum. Datum Pariſiis
„in

„in Parlamento noſtro die XI. Septembris „anno Domini MCCCVI. & Regni noſtri „XXVI.

Cæterum, quod Regius Procurator in hoc Arreſto memorat Conſtantinum dediſſe Eccleſiæ Romanæ præeminentiam ſuper Conſtantinopolitanam, & alias Eccleſias Patriarchales, deſumpſiſſe videtur ex Canone II. *Conſtantinus*. diſt. XCVI. quo ſtatuitur: *Omnes Sacerdotes in orbe Romanum Pontificem caput habere, ſicut Judices Regem.* Idque ſimiliter Joannes Papa III. referre videtur in Codice Juſtiniani L. *Inter claras.* Cod. de Summa Trinitate, ubi Juſtiniano congratulatur quod Romanam Eccleſiam aliarum Principem eſſe voluerit. Item Beda venerabilis in Chronico de ſex ætatibus mundi: *Phocas*, inquit, *rogante Papa Bonifacio ſtatuit Sedem Romanæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ caput eſſe omnium Eccleſiarum, quia Eccleſia Conſtantinopolitana primam ſe omnium Eccleſiarum ſcribebat.* Quod ipſum pariter confirmat Paulus Diaconus libro XVIII. Enimvero cum VI. Canone Nicæno conſtitutum fuiſſet, ut ſinguli Patriarchæ ſuas Eccleſias gubernarent, ſicut Epiſcopus Romanus ſuum Patriarchatum: ac inde contingeret, ut tum nullus, ne quidem Romanus Patriarcha ſe regimini aliorum Patriarchatuum immiſceret, inde progreſſu temporis effectum eſt, ut Conſtantinopolitanus ſe Romano æquiparare, aut

etiam præferre auderet: propterea quod Conſtantinopolis Sedes eſſet Imperii: cui malo Romani Pontifices, cum mederi non poſſent, opem Imperatorum implorarunt, tandemque à Juſtiniano, & Phoca impetrarunt, ut ab omnibus aliis Patriarchis tanquam Principes recognoſcerentur: Adi, Lector, quæ in Synodi Nicænæ Hiſtoria retulimus de Patriarchis. Verum (ut ad hiſtoriam noſtram revertamur) hæc prohibitio facta Officiariis Benedicti XIII. quo minus pecunias à Sacerdotibus Galliarum exigerent, viam ſtravit ad integram ſubſtractionem ab obedientia ejuſdem Benedicti, ut actis ſequentibus dignoſcetur. Siquidem Principes Franciæ frequentibus Academiæ Pariſienſis querelis exciti nullam diurnæ aut nocturnæ quietis partem placidè tranſmiſerunt, antequam ſchiſmata extinguerentur: eamque ob cauſam literas cum legationibus ad exterarum nationum Principes ſæpe miſerunt, ut certa iniretur ratio qua pax Eccleſiæ redderetur. Ex omnibus Galliarum univerſitatibus ſola Tholoſana Benedicto mordicus favebat, in quam Gerſonius ſcripſit Opuſculum, quod inter ejus opera extat, ſicut & Magiſter Petrus Plaoul, cujus lucubratio periit. Sed ad regias Literas veniamus.

„Carolus Dei gratia Francorum Rex „univerſis Chriſti fidelibus ſalutem in Do-„mino, & ad eam, quam ſummopere deſide-

„ra-

„ramus, Eccleſiaſticam unionem unanimi-
„ter aſpirare. Pax Eccleſiaſtica, quæ ſub
„unico & certo Chriſti Vicario conjungere
„debet univerſa membra populi Chriſtiani
„ſecundum ipſius Chriſti & Apoſtoli ſui do-
„cumentum, dum olim poſt mortem feli-
„cis recordationis Gregorii Papæ XI. con-
„turbari cœpiſſet: dumque ſchiſma perni-
„cioſum monſtrum horrendum ingens in ea-
„dem Eccleſia ſuboriri cerneretur ex cauſis
„toto orbe notiſſimis, Chriſtianiſſimus tunc
„ac præclariſſimæ memoriæ Progenitor no-
„ſter Carolus V. ſuaſus multis vehementi-
„buſque rationibus deliberavit adhærere, &
„obedientiam præſtare illi, quem Collegium
„Cardinalium jurejurando aſſeruit, in vita
„& morte, atque publicavit ſe canonice in
„ſummum Pontificem & verum Chriſti Vi-
„carium ſponte & concorditer elegiſſe. Ar-
„bitrabatur namque verſimiliter idem Pro-
„genitor noſter, ut erat totus fervens in zelo
„domus Dei, & ex ſua fide pia alios dijudi-
„cans, quod cæteri Principes ac Prælati cum
„univerſo Clero & populo protinus obedi-
„rent conſimiliter, dum electionem hujuſ-
„modi per Collegium præfatum Cardina-
„lium ſufficienter eis innoteſceret rite fuiſſe
„celebratam. Sed aliter eveniſſe dudum jam
„deploramus: neque enim potuerunt uſque
„hodie dicti Cardinales hoc ipſum. Nos
„idcirco cernentes, experientia temporeque
„do-

„docentibus, quod hæc obedientia præſtita „invalida erat ad tollendum funditus ſchi„ſma peſtiferum, quod in exilium graviſſi„mum pacem deſideratiſſimam & optimam „detruſerat, deliberamus eandem pacem ad „proprium cubile ſuum, quod eſt Eccleſia, „velut ad ſuam regionem per alias vias totis „conatuum viribus reducere: Hinc Conſilia „crebra, hinc legationes laborioſiſſimæ ac „ſumptuoſiſſimæ per omnes Chriſtianitatis „regiones frequentatæ. Tandem aſpirante „Deo, via ceſſionis utrique contendentium „pro reverſione pacis turpiter exulantis in„venta eſt compendioſior, & abſque ulla „dubitatione expeditior judicata. Hanc „proinde viam cum omni ſolemnitate præ„ſentari fecimus ſucceſſori illius, cui pro„genitor noſter (ſicut diximus) obedientiam „præſtiterat: quam obedientiam ideo maxi„me poſtmodum ab eodem ſucceſſore pro „tempore ſubſtraximus: quia non ſatis aper„te per viæ ceſſionis compendium videbatur „velle pacem reducere, poſtpoſitis diſcepta„tionum interminabilium anfractibus & in„greſſibilibus aliarum viarum labyrinthis. „At ubi viſus eſt nobis ad ſalubriora ſe con„vertiſſe conſilia, rurſus abſque omni mu„tabilitatis culpabilis nota obedivimus ei„dem; ita tamen animo noſtro gerentes, ſi „& quamdiu hæc obedientia noſtra non ob„ſtaret Eccleſiaſticæ unioni, quemadmo-

„dum

„ dum in Conſilio ultimo Eccleſiæ Regni
„ noſtri meminimus, ſatis datur intelligi:
„ *Neque enim voluimus unquam ſcienter, neque*
„ *fas eſſe credimus, obedientiam præſtare cui-*
„ *cumque mortalium in pacis univerſalis præ-*
„ *judicium, in ſchiſmatis fomitem, in diſcor-*
„ *diæ inſtrumentum. Et*, ô ſalutifer Chriſte
„ princeps pacis, *quandiu jam quæſivimus pa-*
„ *cem, & non venit? Expectavimus tempus*
„ *medelæ, tempus ſcilicet juratæ conventionis*
„ *utriuſque contendentium pro ceſſione celebran-*
„ *da, & ecce turbatio.* Animadvertite hæc,
„ Domini Principes Chriſtiani, quibus eſt
„ dolori talis tantaque matris diſſipatio. At-
„ tendite inſuper vobis, & univerſo populo
„ Chriſtiano, vos Sacri Pontifices, in quo
„ poſuit vos Spiritus Sanctus Epiſcopos re-
„ gere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſan-
„ guine ſuo. Attendite quæſumus, nolite
„ diſſimulanter agere, ubi depopulatur gre-
„ gem Chriſti miſeris modis tempeſtas hæc
„ ſæviſſima, horrendaque vorago. Exurgat
„ in unum populus univerſus tollere de me-
„ dio ſui deformiſſimum hoc portentum; un-
„ de fit in opprobrium hoſtibus incredulis
„ propriiſque animabus damnationis æternæ
„ diſcrimen apertum: decidat vel invitus unus
„ aut alter, imo utrique contendentium ab
„ occupata ſede Petri, potius quam unitas
„ eorum contentione depereat. Nam dum
„ neutri populus obediet, neuter amplius
„ de

„de Primatu vel fruſtra contendet: neque
„audietur ultra vox illa crudeliſſimæ Fœ-
„minæ: *Nec mihi, nec tibi, ſed dividatur*:
„ſed illa piæ matris: *Date illi infantem vi-*
„*vum*. Nos vero, qui nihil ita poſt animæ ſa-
„lutem deſideramus, quam videre ſereniſſi-
„mam pacis faciem noſtris effulgere tem-
„poribus, judicamus ex præmiſſorum &
„ſimilium conſideratione nullum ad præſens
„patere validius in tam deſperato malo re-
„medium quam quod neutri contenden-
„tium, aut ſibi forte ſucceſſuris præſtetur
„deinceps obedientia à populo Chriſtiano:
„deficiente ſiquidem fomento tantus ignis
„iſte infernalis in ſe tandem deficiens dante
„Deo collabetur. Quapropter præcedenti-
„bus & habitis ſuper hoc vicibus repetitis
„magnis & maturis deliberationum conſiliis
„cum ſapientibus, peritis & devotis homi-
„nibus Deum & eorum ſalutem gerentibus
„præ oculis: Nos & Eccleſia Regni noſtri
„ac Delphinatus Viennenſis pro nobis & ſub-
„ditis noſtris eorundem Regni & Delphina-
„tus decrevimus talem amplecti neutralita-
„tem in Feſto Aſcenſionis proxime ventu-
„ro, niſi interea nobis ultro pax advenerit;
„proceſſuri nihilominus ulterius aſſidua ſo-
„licitudine cum aliis Principibus & Catholi-
„cis omnibus, donec evulſo ſchiſmate pax
„plantetur. Quod ſi mirabuntur forſan ali-
„qui ex aliter affectatis, unde nobis iſta li-
„cent;

„ cent; *Attendant potius quod hanc nobis Le-*
„ *gem facit ipſa, quæ Legem neſcit, dura ne-*
„ *ceſſitas: imo & filialis pietas, quæ per me-*
„ *dios ignes & gladios matrem talem ita colla-*
„ *borantem eripere conaretur.* Ecce morbus
„ inveteratus & putridus, qui ex fomentis
„ levioribus in deteriora quotidie velut can-
„ cer ſerpit. Si ergo ferramentum cauteri-
„ zans adhibeatur, nullus recte culpaverit.
„ Demum cum pro hac neutralitate in
„ unum tractanda Principes ac Magnates
„ utriuſque obedientiæ commoda celeritate
„ congregari non poſſent, nullus ſuo quæ-
„ ſumus contemptui deputet jus partis no-
„ ſtræ, quam probabiliſſima ratione præli-
„ batus Progenitor noſter & nos hactenus
„ fuimus inſequuti, in hac neutralitate con-
„ demnatum vel depreſſum: cum non de ju-
„ re hujus vel illius, ſed & de cedendo juri
„ vero vel prætenſo pro unione conſequenda
„ res agatur. Quamobrem, vos omnes &
„ ſimiles hortamur in Chriſto, & per eam,
„ quam de immaculatæ Sponſæ ſuæ Eccle-
„ ſiæ laceratione fœda, compaſſionem, ge-
„ ritis, obteſtamur: arripite nobiſcum vali-
„ dum hoc & efficax, ſicut expectamus, in
„ Dei virtute peſtis hujus exterminium, ut
„ denegatio hæc obedientiæ utrique conten-
„ dentium afferat nobis tandem perpetuam
„ unanimemque obedientiam ſub uno & cer-
„ to Chriſti Vicario, quatenus ſerviamus
„ Deo

„ Deo in pulchritudine pacis & requie opu-
„ lenta: in quorum omnium fidem & teſti-
„ monium præſentes Literas noſtri ſigilli fe-
„ cimus munimine roborari. Datum Pariſiis
„ die. Januarii anno Domini MCCCCVII. &
„ Regni noſtri XXVIII. In hoc argumentum Galliæ Regem multoties ſcripſiſſe ad omnes Principes, conſtat ex multis Actis, quæ brevitatis cauſa prætermitto.

VII. Porro quamprimum Academia Pariſienſis obſervavit Eccleſiæ pacem reddi non poſſe via ceſſionis utriuſque Antipapæ, tum demum ventum eſt ad viam Generalis Concilii circa annum MCCCVIII. quo tempore Benedictus XIII. cenſuris in Regem & Regnum Franciæ detonabat: ſed magno illorum malo, qui ejuſmodi Bullas detulerunt in Franciam. Pariſienſis Cancellarius narrat tum duas peſtilentiſſimas opiniones inter multos invaluiſſe, qui partes Papæ Avinionenſis aut Romani ſequebantur. Prior erat: *Papam eſſe impeccabilem, omnipotentem, & neminem eſſe in ſtatu ſalutis qui alterutri Pontificum non obediret: & proinde non licere cuiquam ſubſtrahere ſe ab obedientia alterutrius.* Cujus opinionis Gerſonius meminit ſermone, quem habuit Taraſcone, inſcripto, *Quatuor Conſiderationes de pace*, Conſideratione prima ſub finem. Poſterior opinio: *Nihil eſſe curandum in terris de habendo unico Pontifice, modo in cœlis unus crederetur & co-*

„ *lere-*

*teretur Papa Chriſtus Dominus.* Qui duo errores ſunt quodammodo oppoſiti, & pervicacia Antipaparum maxime fovebantur, cum neuter illorum viam ineundæ unionis quærere, aut ab aliis propoſitam amplecti vellet. Fundamentum poſterioris opinionis, (ut ait Gerſonius prima parte operum tractatu *de Schiſmate*, qui incipit: *Præſuppoſito quod Papa fieri poſſet hæreticus*,) erat, *Chriſtum dediſſe claves unitati, non uni.* Ille autem ad hos errores peſtilentiſſimos debellandos varia lucubravit opuſcula, atque inter alia tractatum *de auferibilitate Papæ*, in quo docet: *Statum Eccleſiæ ſic eſſe Monarchicum, ut in puram Ariſtocratiam, vel Democratiam mutari repugnet: atque unionem Eccleſiæ cum Chriſto Sponſo & capite eſſentiali eſſe quidem intimam, eſſentialem, atque immutabilem: contra vero mutabilem & accidentalem cum Petro, Paulo Clemente, &c. & continuo hos vel illos Pontifices ſingulariter ſumptos propter Eccleſiæ bonum, & ad pacem conciliandam auferri poſſe ab Eccleſia.* Hoc enim eſt compendium illius doctiſſimi operis, non autem quod Sectarii noſtri arbitrantur, ſcilicet, *Papam abſolute & ſimpliciter tolli poſſe ab Eccleſia.* Cæterum hoc tempore in omnibus Europæ Academiis frequentatæ ſunt diſputationes de poteſtate Papæ & Concilii, quarum hic aliquas expromam ex quarta parte operum Gerſonii cum hoc lemmate: *Se-*

*II. Lib.* D *quun-*

*quuntur aliquæ propoſitiones utiles ad extermi- nationem præſentis ſchiſmatis per viam Concilii Generalis.*

I. In unitate Eccleſiæ, & capitis Chriſti Sponſi Eccleſiæ plene & perfecte conſiſtit unitas corporis myſtici totius Eccleſiæ Chriſtianæ juxta illud: *Chriſtus eſt caput Eccleſiæ*: & illud: *Omnes unum corpus ſumus in Chriſto.*

II. Licet Papa in quantum Chriſti Vicarius quodammodo dici poſſit caput Eccleſiæ & ipſius Sponſus, tamen Eccleſiæ unitas non neceſſario dependet aut originatur ab unitate Papæ: Patet ex prima: Etiam quia nullo modo exiſtente Papa ſemper Eccleſia remanet una, juxta illud in Canticis: *Una eſt Columba mea.* Et illud Symboli: *Credo unam Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam.*

III. A Chriſto capite & Sponſo Eccleſiæ corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, originatur, & immediate poteſtatem habet & auctoritatem, ut ad ſuam unitatem conſervandam rite valeat ſeipſam ad Generale Concilium ipſam repræſentans congregare: Patet ex illo verbo Chriſti: *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ego in medio illorum ſum.* Ubi advertendum eſt, quod non dicit, *in nomine Petri*, vel, *in nomine Papæ*, ſed, *in nomine meo*: dans intelligere, quod ubicumque, & à quocumque congregan-

gantur fideles, cum hoc fiat in nomine ſuo, hoc eſt, in Chriſti fide, & pro Eccleſiæ ſuæ ſalute, ipſe aſſiſtit eis tanquam Director, & infallibilis Rector: Confirmatur, quia alias Chriſtus non fuiſſet ſufficiens Fundator Eccleſiæ Sponſæ ſuæ.

IV. Non ſolum auctoritate Chriſti, ſed etiam communi jure naturali, præmiſſam poteſtatem habet corpus miſticum Eccleſiæ Dei: Patet, quia quodlibet corpus naturale naturaliter reſiſtit ſuæ diviſioni & diſtractioni: & ſi ſit corpus animatum naturaliter congregat omnia membra, omneſque vires ſuas ad conſervandam ſuam unitatem, & repellendam ſuam diviſionem. Simili quoque modo, & quodlibet corpus civile, ſeu civilis communitas, vel politia rite ordinata: Ideoque corpus ſpirituale ſeu myſticum Eccleſiæ Chriſtianæ, quod ordinatiſſime compoſitum eſt (ipſa quidem Eccleſiaſtica Politia in Canticis deſcribitur velut caſtrorum acies ordinata) ſimili jure uti poterit ad ſuam Unitatem conſervandam, quamlibet ſchiſmaticam diviſionem repellendam, tanquam ſuæ ordinatæ compoſitionis deſtructivam.

V. Præmiſſa auctoritate, & auctoritativa poteſtate uſa fuit Eccleſia primitiva: Patet, quia in Actibus Apoſtolorum quatuor leguntur Concilia Generalia congregata: & non habetur quod ſola auctoritate Petri fuerunt convocata, ſed communi conſenſu



Digitized by Google

Eccleſiæ: & in Concilio Hieroſolymis celebrato non Petrus, ſed Jacobus illius Epiſcopus legitur præfuiſſe, & ſententiam protuliſſe.

VI. Poſt incrementa naſcentis Eccleſiæ primitivæ præmiſſa auctoritas & poteſtas congregandi Generalia Concilia rationabiliter limitata fuit & reſtricta, ſic ſcilicet quod ſine auctoritate Papæ nulli liceret hujuſmodi Concilia congregare: Patet ex juribus communibus, quæ habentur in Decreto, & Decretalibus. Et ratio fuit, ut honoraretur Sedes Apoſtolica: & ut obviaretur hæreticis vel ſchiſmaticis, qui quandoque ad libitum pro potentia Principum ſecularium Concilia vocari & congregari procurabant ad ſuorum errorum fulcimentum.

VII. Præmiſſa mutatio ſeu reſtrictio non tollit, quin prædicta auctoritativa poteſtas ſemper abſolute remaneat in ipſa univerſali Eccleſia: Patet, quia jura poſitiva non poſſunt ab Eccleſia abſolute tollere illam poteſtatem, quæ ei competit divino & naturali jure.

VIII. Non obſtante Limitatione ſeu reſtrictione præmiſſa in certis caſibus Eccleſia ſine auctoritate Papæ poteſt Concilium Generale celebrare: Patet per prædicta, & etiam quia illud, quod eſt in favorem Eccleſiæ introductum, non eſt in ejus damnum & grave periculum obſervandum. Sed pradicta Li-

Limitatio ſeu reſtrictio, quæ in favorem Eccleſiæ jure poſitivo legitur introducta, ut dictum eſt, poſſet in certis caſibus eidem graviſſime præjudicare; & ſpecialiter poſſunt tres caſus aſſignari: Primus eſt, ſi vacante Sede occurreret hæreſis, vel alia Eccleſiæ perſequutio, cui eſſet per Generale Concilium obviandum. Secundus, ſi in caſu neceſſitatis aut manifeſtæ utilitatis vocandi Concilium Papa eſſet furioſus, aut hæreticus, vel alias ad hoc inutilis, aut inſufficiens; vel ſi ſuper hoc requiſitus Concilium vocare recuſaret, aut damnabiliter negligeret. Tertius, ſi plures eſſent contendentes de Papatu, ita quod nulli eorum tota obediret Eccleſia, nec ad alicujus eorum aut amborum ſimul vocationem compareret, ſicut eſſe videtur in præſenti ſchiſmate. In his igitur, aut ſimilibus caſibus clare patet ex præmiſſis, quod abſque auctoritate Papæ poſſet & deberet Eccleſia Generale Concilium celebrare.

IX. Jura poſitiva, quæ communiter dicunt, quod abſque Papæ auctoritate non eſt fas generale Concilium congregari, debent civiliter intelligi, ſcilicet, quando eſt unicus Papa concorditer ab Eccleſia receptus, ad congregandum hujuſmodi Concilium occurrente evidenti utilitate idoneus & paratus: Patet ex prædictis, & ex doctrina Ariſtotelis in Ethicis, ubi loquitur de ἐπιεικεία.

X. Porro ſedando præſenti ſchiſmate, ab-

ſque auctoritate Papæ, imo ipſo contradicente, poteſt auctoritate univerſalis Eccleſiæ generale Concilium congregari: & non ſolum per Dominos Cardinales convocari, ſed etiam in caſu per quoſcumque fideles ſpecialiter majores & potentiores, qui vel auctoritativa poteſtate, vel charitativa admonitione ſcirent & poſſent ad exequutionem tanti boni cooperari: Patet ex præmiſſis, & etiam quia in tanta neceſſitate omnes fideles, & ſpecialiter majores & potentiores debent Eccleſiæ ſuccurrere, & malo ejus tam evidenti celerius occurrere. Poſſent autem ad præmiſſa rationes & auctoritates tam divini quam humani juris induci, ſed bene affectatis iſta ſufficiant.

His decem propoſitionibus editis à Gerſonio in Academia Pariſienſi ſubnectam octo alias, quas Doctores Itali eodem tempore vulgarunt, leguntur que quarta parte operum Gerſonii cum hac epigraphe: *Sequuntur octo Concluſiones per plures Doctores in Italiæ partibus approbatæ, quarum dogmatizatio utilis videtur pro exterminatione modernis ſchiſmatis.*

I. Veri Cardinales in electione Papæ vices gerunt univerſalis Eccleſiæ Chriſtianæ: Patet, per talem electionem conſtituitur Papa verus vicarius Chriſti; & caput corporis ejus myſtici, quod eſt Eccleſia. Sed hoc non poteſt facere niſi Chriſtus, vel ipſummet

cor-

corpus myſticum, aut habens in hoc ipſius poteſtatem ſeu auctoritatem.

II. Veri Cardinales hujuſmodi vices Eccleſiæ gerunt non ſolum in Papæ electione, ſed etiam in his, quæ circa eam rite & legitime fiunt pro Eccleſiaſtica unione: Patet, quia electio Papæ finaliter ordinatur ad unionem Eccleſiæ. Nam ideo eligitur unus Papa, ut in eo, tanquam in primo capite ſub Chriſto ſit Eccleſiæ unio: & ideo propter unionem Eccleſiaſticam eſt electio Papæ, non contra.

III. Veri Cardinales adjicientes in electione Papæ juramentum ſeu votum de cedendo in caſu præſenti, ſcilicet pro tollendo tam diuturno & obſtinato ſchiſmate, & pro danda pace, & Eccleſiaſtica unione: hoc rite & legitime faciunt, non ſuo proprio aut privato nomine, ſed vice & nomine totius Eccleſiæ: Et ideo qui tali juramento & voto ligantur, & toti Eccleſiæ obligantur, à qua obligatione ſine totius conſenſu vel auctoritate non ſolvuntur: Patet ſatis ex præmiſſis, quæ omnia poſſent faciliter non ſolum divino & humano jure ſed etiam naturali ſeu morali ratione fundari.

IV. Ex his tribus ſuppoſitionibus inferuntur aliquæ propoſitiones, quæ ſequuntur. Quicumque tenent Dominum Angelum vocatum Gregorium eſſe Papam, & ejus prætenſum Collegium eſſe veros Car-

dinales, habent conſequenter tenere propoſitiones antedictas veras: & ideo habent concedere dictum Gregorium per juramentum & votum ab eo factum toti univerſali Eccleſiæ obligari, & ſuos prætenſos Cardinales pariter teneri, ut (quantum in eis eſt) ipſum faciant ob juramentum & votum efficaciter adimplere: alias ab univerſali Eccleſia reputandi ſunt perjuri & fractores voti.

V. Talis prævaricatio voti & juramenti tam ſolemniter & in tam favorabili materia facti non ſolum eſſe graviſſimum & mortale peccatum; quinimo, ſi eſſent pertinaces prævaricatores hujuſmodi, reputandi forent non ſolum ſchiſmatici, ſed etiam hæretici, aut de hæreſi vehemter ſuſpecti.

VI. Prætenſi Cardinales ex obligatione dicti juramenti vel voti, & alias ex auctoritate juris divini & humani, ſi probabiliter videant dictum Gregorium, prout hactenus feciſſe videtur, frivolis excuſationibus & periculoſis dilationibus dicti ſui juramenti & voti impletionem ſubterfugere, debent & tenentur poſt debitam monitionem ſe ab eo & ejus obedientia & communicatione ſubſtrahere, & contra ipſum, tanquam notorie ſchiſmaticum, & vehementer de hæreſi ſuſpectum, ac perturbatorem & illuſorem totius politiæ Chriſtianæ procedere, & ad idem faciendum alios fideles, & præcipue

Præ-

Digitized by Google

Prælatos, & Principes inducere, & movere: alioquin non pouerunt excuſari à fautoria ſchiſmatis vel hæreticæ pravitatis.

VII. Adhærentes dicto Gregorio tanquam Papæ, & præcique majores Prælati & Principes, poſt debitam informationem à Cardinalibus, vel alias ſufficienter inſtructi de dicta malitia ipſius Gregorii, tenentur ſe ab ejus obedientia ſubſtrahere ſub pœna fautoriæ prædictæ.

VIII. Doctores ſtudiorum generalium, & præcique Theologi & Juriſtæ, ac etiam Prædicatores ad populum, debent & tenentur de præmiſſis fideles inſtruere: & in hoc commendandum eſt ſtudium Bononienſe, à quo nuper emanavit determinatio conformis ad præmiſſa.

Summa omnium diſputationum, quas ſchola Pariſienſis tum celebravit, erat, finem Eccleſiaſticæ Politiæ, atque omnium legum & inſtitutorum legis gratiæ eſſe pacem, concordiam, atque unionem in Domino noſtro Jeſu Chriſto, Rom. XIII. Duos Antipapas pacem & unionem Eccleſiæ pedibus ac manibus impedire, & communicatis ſtudiis atque conſiliis inter ſeſe colludere, ac proinde unitatem, ſanctitatem, & auctoritatem Eccleſiæ hoc articulo Symboli Apoſtolici conſignatam: *Credo unam ſanctam Eccleſiam, Catholicam, ſanctorum communionem*, nullo modo penes illos poſſe reſidere, conſequen-



Digitized by Google

terque eſſe ſchiſmatis auctores, & de hæreſi ſuſpectos, ſic enim paſſim docent Gerſonius, & Theodoricus de Niem: Platina vero, Ciaconius, & Curiæ Romanæ ſcriptores quantum poſſunt Papam Romæ ſedentem excuſant, ut omnem invidiam & culpam Papæ Avinionenſi tanquam illegitimo impingant. Franciæ Rex, ubi Cardinalibus Avinionenſibus perſuaſit ut Benedictum XIII. deſererent, literas ad Collegium Romanum hac forma reſcripſit anno MCCCCVIII.

„Carolus Dei gratia Francorum Rex „egregiarum circumſpectionum viris & ami-„cis noſtris chariſſimis pro Cardinalibus ſe „in Roma gerentibus ſalutem, & miſerandæ „lachrymantique Matri omnium Eccleſiæ „condolere. Cognoſcitis abunde, ſi non fal-„limur, dilecti, & fideles amici chariſſimi, „quod in gravibus doloribus & anxietatibus „ob duorum nefandam ambitionem, qui „diu de Papatu contenderunt, ſacroſancta „Eccleſia magis in dies affligitur, magis la-„ceratur & concutitur. Videntes nunc mi-„ſerabilem ac horrendam, atque ex alto niſi „Deus piis oculis perſpexerit ſubverſionem, „inde gemebundi & anxii viſcere tenus com-„movemur, ejus deſolationi pie condolen-„tes, & eo magis quo ad conſolationem „ejus procurandam magis ex debito obliga-„mur: ad quam rem peragendam quantos

„la-

„ labores, quantas ſolicitudines in Conciliis
„ celebrandis, in Legationibus per Chriſtia-
„ num orbem transmittendis, noſtra ab ine-
„ unte adoleſcentia Deo & vobis teſtibus ad-
„ hibuimus, ſatis & ſæpe potuiſtis attendere.
„ Ut igitur vetera vobis notiſſima omittamus,
„ & noviſſima capiamus, poſt multos varioſ-
„ que labores circa viam mutuæ ceſſionis ten-
„ tatos, poſt obitum illius, qui apud vos
„ Innocentius dicebatur, Angelum Cora-
„ rium, quem nunc Gregorium appellatis,
„ in veſtrum Papam ſub votis & juramentis de
„ renunciando & cedendo Papatui elegiſtis,
„ quo electo, ab eodem literas accepimus con-
„ tinentes, quod Petro de Luna, cui tunc
„ Papæ obedivimus, mortuo vel cedente,
„ erat pro unitate Chriſtianorum paratus ju-
„ ri ſuo prætenſo renunciare: & dictum Pe-
„ trum de Luna, ut ſimiliter ageret, per
„ ſimiles literas hortatus eſt, cui ſuper hoc
„ ſuas Bullas miſit. Tunc profecto magno &
„ ineffabili gaudio exultavimus, quando
„ ambos de Papatu contendentes in eandem
„ ſententiam in viam ceſſionis convenire, &
„ totum mundum inde gaudere, & in noſtra
„ proſequutione eſſe unanimem videbamus.
„ Et ut à nobis conſolarentur ſolemniſſimos
„ noſtros & Eccleſiæ Regni noſtri Ambaſi-
„ atores in magno & notabili numero de
„ noſtra intentione & voluntate ad plenum
„ edoctos primo ad dictum Angelum trans-
mi-

„ miſimus. Et quamquam apud eoſdem con-
„ tendentes per magna tempora unionem
„ noſtro nomine proſequentes permanſerint,
„ nihil tamen, quod Deo gratum, quod-
„ que mundo utile eſſet, reportaverunt ab
„ eiſdem, ſed annum & pluſquam annum
„ in legationibus unionis ad alterum deſti-
„ nandis, in locis difficultandis, in colori-
„ bus quibus pro ſua parte ad ſui excuſatio-
„ nem quærendis conſumpſerunt: nec in
„ orbe toto locum invenire valuerunt, ubi
„ ſua vota, ſuaque juramenta adimplerent,
„ ubi lugenti & deſolatæ Eccleſiæ pacem da-
„ rent. Quis autem eorum malitiam frau-
„ dem, & iniquitatem clare non videat?
„ Quis eoſdem turbatores pacis & impedi-
„ tores unionis non accipiat? Quis talibus
„ de cætero obediat? Violaverunt fidem,
„ fregerunt votum, promiſſum non tenue-
„ runt, & ſponſam Chriſti ante pedes eorum
„ videntes proſtratam, eidem manus rele-
„ vatrices: quas faciliter exhibere poterant,
„ denegarunt. O magnum & ſceleſtum fa-
„ cinus! ô nefanda temeritas! ô talibus viris
„ ad pacem Eccleſiæ dandam inter mortales
„ obligatis indigna macula nunquam eorum
„ delenda de frontibus! Qui dum opportu-
„ nitatem aſſequendæ pacis perceperunt,
„ quaſi pavidi, (ut exiſtimamus) ſuorum
„ ſcelerum conſcii, ſe mutuo in præſentia
„ ſuorum Collegiorum, videre auſi non ſunt,
ve-

„ verentes forſitan ne voluntas Altiſſimi,quæ
„ mentes hominum ſcrutatur , & cujus ma-
„ jeſtati manifeſta ſunt omnia , eorum frau-
„ des , & colluſiones , & errores longis in-
„ cognitis temporibus in eorum pertinacia
„ clareſceret. Hæc & alia majora ſatis vos
„ ſcire arbitramur , & quantum zelum ad
„ pacem Eccleſiæ habuerint , qualiterve pro-
„ ceſſerint inde elicere potuiſtis. Etenim am-
„ bo obſtinati ſunt , & dura ſententia obfir-
„ mati , ut Eccleſiæ pacem dare recuſent.
„ Vos , quibus ſpes obtinendæ pacis ob defe-
„ ctum & vitium eorumdem relicta eſt , ro-
„ gitamus , & cum inſtantia , per Deum ve-
„ rum & immortalem , per ejus aſperſionem
„ ſanguinis , per ( ſi qua eſt vobis ) fidei &
„ Chriſtianæ religionis integritatem , & ad
„ matrem Eccleſiam miſericordiam & pieta-
„ tem , requirimus & hortamur , ut dimiſſo
„ dicto Angelo vos in unum locum confera-
„ tis , & conventionem cum noſtris Cardi-
„ nalibus procuretis. Nam ſi locum in unum
„ convenietis , non dubitamus quin in ipſo-
„ rum contendentium contumaciam & ab-
„ ſentiam ( attenta rei neceſſitate quæ in
„ quantum ſubeſt legibus & decretis Eccle-
„ ſiæ ) proviſum ſit , nec decretis tantum &
„ legibus , imo miſerandum neceſſitatis ocu-
„ lum habeatis. Quoniam cunctis caſibus
„ futuris & maxime tanto caſu inopinato in-
„ ſperatoque non valuerunt decreta , ſi opus
eſſet ,

„ eſſet , providere. Nec exiſtiment aliqui „ quod propter longas dilationes & diras fa- „ tigationes reſilire ac à noſtro propoſito de- „ ſiſtere debeamus ; quia in re perficienda „ eo ferventiores efficimur , quo magis res „ eadem in longas moras & dilationes pro- „ trahitur. Si vero hujuſmodi noſtræ roga- „ tioni pariter & requiſitioni acquieveritis, „ noſtrum auxilium , conſilium , noſtras „ opes , noſtrum regnum , noſtraque om- „ nia non denegabimus ; imo vos omnes , & „ vos ſingulos omni honore , gratia , & fa- „ vore , & Eccleſiam ſacroſanctam obſe- „ quio , adjutorio & honore amplectemur. „ De cæteris vero , quæ circa hæc gerenda „ ad caſum veſtræ conventionis , & noſtram „ voluntatem atque affectionem continent , „ dilectos & fideles conſiliarios & Ambaſia- „ tores noſtros Patriarcham Alexandrinum , „ & alios Collegas ſuos , nunc apud vos gra- „ tia proſequendæ pacis Eccleſiæ exiſtentes „ inſtrui ad plenum volumus : quorum dictis „ fidem velitis indubiam adhibere , & re- „ queſtis per eos vobis pro parte noſtra fa- „ ciendis totis conatibus attendere. Datæ „ Pariſiis anno Domini M CCCC VIII. die „ XXXII. Maji.

Hic obſervatione dignum occurrit , olim à primitivæ Eccleſiæ temporibus multa ſchiſmata in Romana Eccleſia bacchata fuiſ- ſe : ſed poſtquam Romani Imperatores no-

men

men dederunt Religioni Chriſtianæ, atque Imperium Romanum floruit, eorundem Imperatorum auctoritate nullo negotio extincta fuiſſe: Contra autem profligatis viribus Imperii, & Romanis Pontificibus locupletatis ditione ſeculari, ſchiſmata hæc per longum tempus duraviſſe, nec facile ſarciri aut extingui potuiſſe, ut hujus ſchiſmatis exemplo liquet, quod ferme quinquaginta annis continuavit. Ut autem ad hiſtoriæ noſtræ ſeriem revertamur, Regis Chriſtianiſſimi ſolicitudine tandem Romani atque Avinionenſes Cardinales exſtimulati in animum induxerunt, ut Piſas urbem Hetruriæ convenirent, ac de ſchiſmate opprimendo ſerio agerent: quo etiam Chriſtiani Principes legatos ſuos miſerunt, atque centum octoginta Archiepiſcopi vel Epiſcopi, trecenti Monaſteriorum Patres, centum viginti Magiſtri in Theologia, & trecenti Doctores juris Canonici & civilis cum legatis atque procuratoribus omnium Academiarum Europæ confluxerunt. At vero qui ad nefandas corruptelas & abuſus, quibus tum Eccleſia & præſertim Gallicana infeſtabatur à curia Avinionenſi, attenderit; facile judicabit Platinam perverſo in Gallos animo in vita Gregorii XII. ſcripſiſſe non alia de cauſa ad exauctorandum Benedictum XIII. incenſos Gallos quam quod Benedictus non eſſet Gallicæ nationis, & quod hic graviter ferret vitam diſſo-

diſſolutam & ſimoniam Gallorum Cardinalium: quam calumniam acta illius temporis plus ſatis depellunt, oſtenduntque mali gravitatem Principes regni Franciæ ad ea impuliſſe quæ pro unione Eccleſiæ geſſerunt: Certe Platina meminiſſe debuerat Italorum Cardinalium mores nihilo tum fuiſſe aut eſſe hodie tolerabiliores noſtratium moribus, qui ſimoniam cæteroſque abuſus Curiæ Romanæ acceptos referre debent.

## CAPUT II.

I. *Concilii Piſani convocatio & celebratio pro extinguendo Schiſmate.*
II. *Cardinalis de Columna, qui electus ad Pontificatum vocatus eſt Martinus* V. *interfuit Piſano Concilio.*
III. *Decreta variarum Academiarum Europæ de Concilii eminentia ſupra Papam examinantur & approbantur in Synodo Piſana.*
VI. *Alexandri* V. *electio ſeſſione* XIX.
V. *Quæ poſt Alexandri* V. *electionem ſequuta ſunt in Academia Pariſienſi ob Eccleſiæ Gallicanæ libertates tentatas.*
VI. *Bellarmini teſtimonio Alexander* V. *& Joannes* XXIII. *veri & legitimi fuerunt Pontifices.*

I. QUando Acta Piſani Concilii non extant in tomis Conciliorum Surii, Binii, aut Romanæ collectionis, illa hic integra exſcribere opus eſt: ordiarque ab literis convocationis ejuſdem Synodi Piſanæ per Cardinales, qui Benedicto Avinionenſi Papæ morigerabantur ante prædictæ Synodi indictionem: quibus quidem literis etiam Cardinales Gregorii Papæ Romani aſſenſum præ-

præbuerunt, ac eandem Synodum in provinciis, quæ Gregorio obediebant, indixerunt.

*Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto* XIII. *miſeratione divina ſummo Pontifici humiles & devoti Oratores Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales nunc in Liburno Piſanæ diœceſis exiſtentes pro nobis & aliis Reverendiſſimis Patribus Dominis Cardinalibus pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte cum ſupplici & devota recommendatione utriuſque hominis ſoſpitatem.*

*Qualiter hoc ſchiſma peſtiferum, totius corporis Eccleſiæ infectivum, unitatem lacerans, & enervans charitatem, clerum involvens tortuoſis laqueis, & populum ſubvertens, ab erroribus quam plurimis Eccleſiæ fidem tangentibus intromiſſis ortum habuit, & diuturnitatem adeo noxiam, veſtræ Sanctitati notum eſſe non dubitamus. Hæc enim in ſui exordio modica viſa erroris ſcintilla, cui cum per deliberationem Concilii, ut ſanctorum Patrum moris fuit, non extitit obviatum, ſed duro propoſito, via Concilii repulſa, fomento adhibito per inordinatos & pernicioſos affectus, in quibus* quærentes homines quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti, *adeo in flammam proximam exaltavit, mundum percurrit univerſum, concuiit clerum, ſubvertit populum, fidem maculat, Sacramenta prophanat, & Eccleſiaſticæ cenſuræ con-*

*temptum inducit, Eccleſiæ libertatem omnino extinguit, & indevotos reddit Chriſti charactere inſignitos, ut vix dignoſci valeat quis exiſtat Catholicus, cum plures appareant legis divinæ tranſgreſſores, & mandatorum Dei manifeſtiſſimi contemptores. Et ſi hæc...... nullatenus toleranda, quid ait vulgus de his, qui baſes & columnæ videntur Eccleſiæ, qui horum malorum & tantorum ſcelerum diſſimulatores eſſe videntur, dividentes clerum ac populum,* & verſi in Laqueum tortuoſum *ubique ponunt ſcandalum in ſuarum & fere omnium perniciem animarum? Nihil aliud ajunt dici poſſe, niſi quod tanta ſcelera contra Deum, orthodoxam fidem, & ſanctum Spiritum, animæ pertinaci commiſſa, inexpiabilia, teſte ſcriptura, etiam ſacrificiis reputentur. Si Heli peccatum, longe levius (ut ſacra refert hiſtoria) inexpiabile fuit piaculum & delictum,.........*

*Hæc enim, Pater ſancte ruina tam horribilis, tamque exoſa in Divinæ majeſtatis conſpectu, ut habet communis exiſtimatio, in manu noſtra ludibriis plena, & utinam non blaſphemiis infecta, in noſtri reprobatione conſiſtit, qui cum ex debito debemus & tenemur, ut præmiſſa tollerentur de medio, noſtros indefeſſos adhibuiſſe labores, noſtra quæcumque exponere, etiam titulos dignitatum, animas noſtras, & ultronee bibere calicem paſſionis, ambulatum eſt per devia & non plana: & velut cæci palpantes clauſos parietes, aperta lataque*

*&*

*& plana janua rejecta eſt. . . . . . velut ſpinoſis aculeis & venenoſis jaculis & juxta affectionem in conſpectu Altiſſimi & hominum judicio communi voluntariam & non ſanam, fulcitam magnis periculis, latet: in illa conſiſtit ſumma ſecuritas, & hominum conſcientiarumque indubia ſinceritas; ex quibus longo tempore declinata fuit ceſſionis via, quæ in ingreſſu planæ januæ conſiſtebat ſolitaria, cum Dei gravi offenſa innumeriſque periculis animarum. Et quamvis ex poſt exactis annorum curriculis fuit hæc via ſancta, & neceſſaria, & communi omnium fidelium judicio præelecta, cum Angelo Corrario Gregorio nominato per Sanctitatem veſtram recepta & etiam approbata, tot tamen & tantæ in illius habenda deſiderata exequutione adhibitæ difficultates, variationes, dilationes, ac repudia circa locorum electionem & ſecuritates hinc inde, quod nullus effectus ſequutus eſt, nec aliunde ſperatur modo aliquo proventurus: ſed quodam receſſu perpetuo indicto pacis tractatu, imo verius repudio perenni abiimus in viam longinquam nunquam ad Agni nuptias per unitatis vinculum (ut à multis creditur) intraturi. Sed mala ſub brevi compendio conſiderantes provide, ac pia mentis conſideratione penſantes, Reverendiſſimi Patres nominati in parte alia Cardinales à dicto Angelo Corrario Gregorio nominato ad omnem viam habendæ unionis, pluſquam deſcribi poſſit, mente & propoſito indurato receſſerunt, juxta divina mandata; ad quos de veſtræ ſanctitatis permiſſu*

*& voluntate expreſſa quatuor ex nobis delecti fuerunt, & convenientibus in Liburnum cum quatuor ex ejus Cardinalibus nominatis: & demum nos omnes & ipſi in unum convenientes proſpeximus communi & concordi voto, & matura habita deliberatione cum multis notabilibus Prælatis, & quamplurimis literatis viris Deum timentibus, & pacem Eccleſiæ habentibus in fervore charitatis, fore neceſſarium, ut per Eccleſiam univerſalem congregatam huic tam peſtilenti morbo & inveterato, laqueo erroribus fidem tangentibus pleno ſubveniatur & occurratur in brevi, ad ſervandas omnium fidelium conſcientias, errores ſubmovendos notorios, virtutes inſerendas, adque morum & Eccleſiæ reformationem debitam & ſalubrem. Et quod per nos in noſtra obedientia, & alios nominatos Cardinales in ſua Prælati & alii, qui vocandi fuerint, convocentur per nos in Civitate Piſana, & per illos in eadem ad terminum viceſimæ quintæ diei menſis Martii proxime futuri. Et hunc modum convocationis communi aſſenſu aſſumpſimus propter neutrales, & illos, qui de obedientia dicti Angeli ad veſtram, ac etiam illos de veſtra qui ad veſtram & dicti Angeli convocationem nullatenus venirent, & propter defectus alias habitos in convocatione Concilii, de quo ſæpiſſime & diverſis decurſis temporum intervallis fuit per nos veſtra Sanctitas requiſita, & eidem humiliter ſupplicatum, & alteri promiſſum, ſed nullatenus adimple-*

*pletum. Et, ut omnis adhibeatur cautela ex ſuperabundanti, vobis tenore præſentium ſupplicamus, & inſtanter requirimus, quatenus (quantum in vobis eſt) dictæ Convocationi præbeatis aſſenſum & opem, & quod veſtræ Sanctitati placeat in dicto loco & termino perſonaliter intereſſe, & in dicto Concilio convenire, in quo nobis procurantibus plena & ſufficiens ſecuritas præſtabitur in veniendo, ſtando, & recedendo, & de qua ante dictum terminum congruo reſervato intervallo Sanctitatem veſtram certificare curabimus. Et nos ſeu noſtrorum major pars eandem ſanctitatem veſtram humiliter commemorare cum omni honorificentia quæ ſummo debetur Pontifici, & honorifice tractare ad conſervationem unitatis & pacis, & poſt ipſius exitum fœlicem. Hæc enim Convocatio ad locum & terminum antedictos nullo valet colore difficultari, impediri, ſeu quocumque conficto pallio differri, declinari, ſeu mutari: cum & ſi in Sanctitate veſtra corporalis infirmitas, vel aliud occurreret impedimentum, ſeu alias abſentiæ juſta cauſa poſſit & debeat, de quo vos ſolemniter requirimus, & alias fuit por nos conſultum, hoc Dei tam neceſſarium negotium, quo ad illa quæ per vos facienda exiſtunt, per deputatum à vobis (quo ad omnia neceſſaria vel expedientia præambula) ſufficientem auctoritatem habentem perfici, & procuratione ſufficienti & ſpeciali mandato ac irrevocabili munitum, ceſſio pro parte veſtra fieri, Angelo nomi-*


mi-

*minato Gregorio cedente in propria perſona, vel per procuratorem ſimilem poteſtatem habentem & irrevocabile & ſpeciale mandatum, vel ipſo ſublato de medio, vel canonice per Eccleſiam ejecto.*

*Quod ſi dictæ Convocationi opem & aſſenſum præſtare refugeritis, & in loco & termino ante dictis convenire, vel deputatum Procuratorem (ut præmittitur) deſtinare (cum extra terminos Italiæ nequeant partes, ſeu ipſarum altera, ad conſervationem unitatis habendæ, multis conſideratis ita commode & utiliter convenire, attento quod per Concilia particularia, ſi diviſim & in locis diverſis longa diſtantia ſeparatis tenerentur, ſchiſma extirpari non poſſet) nos & alii, qui ad vocationem noſtram venerint, procedemus in negotio unionis habendæ, & ſchiſmatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione cum Collegio Cardinalium partis alterius, ac cum Conſilio vocatorum per nos & ipſos, attentis præmiſſis juratis & conventis per Sanctitatem veſtram, & dictum Angelum, ut dictaverit Spiritus ſancti gratia, & alias fuit per Sanctos Patres in Romana Eccleſia ſalubriter obſervatum, veſtra aut dicti Angeli ſeu alterius abſentia non obſtante. Suppliciter viribus iteratis exhortantes Sanctitatem Veſtram in Domino, & per viſcera miſericordiæ JESU Chriſti, qui Eccleſiam ſuam fundavit pretioſo ſanguine, unamque eſſe voluit, ac in unitate ſpiritus permanſuram, ſine qua,*

*&*

*& extra quam non eſt ſalus, quatenus Convocationi jam dictæ in loco & termino antedictis fiendæ opem & auxilium, ut decet Zelatorem domus Dei, adhibere velitis. Ad quem, ſicuti de jure poſſumus, ſuper prædictis vos provocamus ad cauſam; quia ſi (quod abſit) nolueritis, aut impedimenta præſtiteritis dictæ Convocationi, & ad illam venientibus, ac nobis qui ad illam tendimus eamque modis Canonicis procuravimus, talia ad impedimentum unionis Eccleſiæ & ipſius ſchiſmatis perpetuationem cenſerentur luce clarius pertinere:* Cum ad veritatem contra falſitatem fuerit collata poteſtas, & ad ædificationem non autem ad deſtructionem. *Et ſi (quod abſit) vellet Sanctitas veſtra impedimenta præſtare, cum nihil ſit per quod fiendæ unitati, ad quam tendimus, poſſet per poteſtatem aliquam juſte fieri, cum in hoc proſequamur voluntatem divinam, Eccleſia,* cujus unitati claves à Chriſto conceſſæ ſunt, *talia non pateretur ſub diſſimulatione tranſire. Et circa præmiſſa veſtram intentionem, veſtrumque propoſitum, & quod in præmiſſis agere intenditis præſentialiter nobis notificare dignemine, ut proinde certitudine habita providere valeamus quantum in nobis erit circa Veſtram ſecuritatem & libertatem, & alia neceſſaria & ad tantum negotium opportuna. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum præſentes noſtras Literas per Notarium pu-*

*publicum infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, ac noſtrorum ſigillorum fecimus appenſione muniri. Datum & actum in loco Liburni ſupradicto in clauſtro Eccleſiæ dicti loci nobis ibidem tunc Guidone Præneſtinenſi, Nicolao Albanenſi, Petro Tuſculanenſi Epiſcopis, Petro tituli ſanctæ Suſannæ Presbytero, Amedeo ſanctæ Mariæ novæ, & Petro ſancti Angeli Diaconis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus congregatis & perſonaliter conſtitutis, ac omnia & ſingula ſupraſcripta pro nobis. & aliis Dominis Cardinalibus abſentibus nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte approbantibus & ratificantibus, & de præmiſſis & eorum ſingulis unum vel plura Publica Inſtrumenta nobis & cuilibet noſtrum fieri petentibus ſub anno & nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo octavo, indictione prima & die quartadecima Menſis Julii, præſentibus Reverendis in Chriſto Patribus & Dominis Dei gratia Simeone Patriarcha Alexandrino Adminiſtratore perpetuo Eccleſiæ Carcaſſonenſis, Petro Epiſcopo Meldenſi, ac venerabilibus & circumſpectis Viris Magiſtris Roberto de Queſnejo Doctore, Joanne Franciſci Licentiato in Decretis, Joanne Petri Magiſtro in Medicina teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis ſic ſubſcriptis & ſignatis.*

*Et Ego Joannes Deſmarchais de Monte acuto Clericus Laudunenſis Diœceſis & Imperiali auctoritate Notarius præmiſſis omnibus & ſingu-*

*gulis ſupraſcriptis dum per Reverendiſſimos in Chriſto Patres Dominos ſupradictos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ratificarentur & approbarentur una cum prænominatis teſtibus præſens fui, & de præcepto eorundem Dominorum Cardinalium præſentes Literas per alium ſcriptas una cum trium priorum Collegii dictorum Dominorum Cardinalium de mandato & requiſitione aliorum tunc Dominorum Cardinalium ſupradictorum eiſdem Dominis prioribus factis ſuper hoc ſigillorum appenſione, me hic propria manu ſubſcribenda ſigno meo conſueto ſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum.*

DESMARCHAIS DE MONTE ACUTO.

# ACTA PRIMI CONCILII PISANI

## celebrati ad tollendum ſchiſma Anno Domini M CCCC IX.

*Sequuntur Seſſiones factæ per Concilium Generale tentum Piſis contra Petrum de Luna, & Angelum de Corrario olim de Papatu ad invicem contendentes.*

IN nomine Domini Amen. Anno à Nativitate ejuſdem milleſimo quadringenteſimo nono more Romano, indictione ſecun-



Digitized by Google

cunda, die viceſima quinta menſis Martii, inchoatum fuit Generale Concilium, ſive ſancta Synodus, & celebratum in civitate Piſana, in quo erant plures Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Sacræ Theologiæ Magiſtri, & utriuſque Juris Doctores, & Licentiati notabiles, Procuratoreſque plurium abſentium Prælatorum, in quo quidem Concilio proceſſum extitit per hunc modum.

Primo, fuerunt factæ Proceſſiones ſolemnes, & poſtmodum in Eccleſia Cathedrali dictæ Civitatis fuit Miſſa devotiſſime per Dominum Cardinalem de Thureyo celebrata, & ſermo factus per unum alium Cardinalem, ſcilicet Mediolanenſem; Miſſa vero celebrata, cantatæ fuerunt Antiphonæ, & certæ Orationes dictæ: & poſtmodum Diaconus alta voce dixit, *Orate.* Tunc flexis genibus, & inclinato capite, omnes oraverunt ſubmiſſa voce, mitris poſitis; Deinde Diaconus, & Subdiaconus cantaverunt alta voce Litanias, & omnes reſponderunt, quibus finitis unus Cardinalis Epiſcopus dixit certas Orationes ad propoſitum unionis, quibus completis, quidam Cardinalis Diaconus legit Euangelium: Quo lecto, unus Epiſcopus Cardinalis incœpit hymnum, *Veni Creator Spiritus*, quo finito, duo Cardinales Diaconi, duo Archiepiſcopi, & duo Epiſcopi cum pluribus Doctoribus

bus & Notariis, ex ordinatione Concilii & mandato, ſe tranſtulerunt ad valvas Eccleſiæ, & alta voce proclamaverunt; An Petrus de Luna, & Angelus Corario, qui Benedictus, & Gregorius dicebantur, de Papatu contendentes eſſent hic præſentes, aut aliquis pro ipſis: quibus non repertis, nec aliquo pro ipſis, ad Eccleſiam redierunt, & in pleno Concilio relationem fecerunt: qua relatione ſic facta, Sacrum Concilium certos ordinavit & conſtituit Promotores, ſeu Procuratores nomine Eccleſiæ univerſalis, ad agendum, petendnm; & faciendum omnia neceſſaria, commoda, & opportuna pro ſchiſmatis extirpatione contra-prædictos Dominos contendentes, imò verius colludentes de Papatu, & pro ſancta unione in Eccleſia Dei habenda, prout in forma, &c. Ordinatique ſunt Advocati, & Notarii pro iſta cauſa deducenda, &c. Quibus factis, Procuratores prædicti accuſaverunt contumaciam dictorum contendentium de Papatu, & petierunt eos reputari contumaces in materia ſchiſmatis & fidei, ac in contumacia ac defectu poni. Et fecerunt legi citationes dictorum contendentium, & relationes executorum, &c. Quibus non obſtantibus, Concilium Sacrum de benignitate ordinavit expectandum uſque ad aliam Seſſionem, quæ fuit ordinata ad XXVI. diem dicti menſis Martii.

SE-

## SECUNDA SESSIO.

QUa die adveniente, celebrata Miſſa, & ſervatis Solemnitatibus, ut ſupra, dicti contendentes fuerunt evocati ad valvas Eccleſiæ, modo quo ſupra in media Seſſione. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro ipſis, fuit ut ſupra contumacia accuſata. Nihilominus Concilium Sacrum iterum de benignitate dixit eos expectandos uſque ad penultimam diem dicti menſis Martii, ad quam diem ordinavit proximam Seſſionem, qua die,, videlicet xxx. Martii adveniente, fuit proceſſum, ut ſequitur.

## SESSIO TERTIA.

DEclaratio, & Decretum latum contra duos contendentes de Papatu, ob contumaciam in cauſa fidei & ſchiſmatis, contumaciæ Prolata ex ore Domini Præneſtini Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Pictavienſis vulgariter nuncupati ex commiſſione totius Concilii, & aſſenſu unanimi,

*Univerſis & ſingulis Sacra mandante Synodo tenore præſentium intimatur, quod hac die Sabbati penultima hujus menſis Martii in Eccleſia Cathedrali Piſana, celebrata devote & ſolemniter Miſſa pro Unione Sacroſanctæ Eccleſiæ ordinata, dictis in cantu Litaniis & devotis Orationibus, ac expletis aliis in talibus conſuetis: auditis quibusdam propoſitionibus & petitionibus Deputatorum; Advocatorum,*

*torum, & Procuratorum Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, iniquis de Papatu contendentium auſibus laceſſitorum, proh dolor! immo diutiſſime, per quos (recenſito,* quod attenta *contumacia infraſcriptorum de Papatu contendentium proxime* lapſorum, *in proceſſu hujus cauſæ deſcripta) petitum extitit, eoſdem contendentes, etiam Cardinales eiſdem adhærentes, & alios ad hujuſmodi Concilium legitime evocatos reputari, decerni, & declarari contumaces; jam bis, & nunc tertio, prorogata ſeu continuata dies inſtat, in qua contendentes ipſi, & Cardinales eis* ~~*adhærentes*~~*, cæterique vocati comparere tenentur, accuſatique legitime.*

*Tandem ipſa die contumacia prædictorum contendentium, & petito eos contumaces reputari, decerni, & declarari, ipſa ſancta Synodus, ſeu hoc Sacrumſanctum Generale Concilium antedictum præfatis contendentibus, & aliis legitime (ut ex proceſſu conſtat) ad valvas Eccleſiæ vocatis, aliiſque ſervatis ſervandis, unanimi conſenſu vocatorum ſupradictorum contendentium & aliorum contumaciam reputavit, & declaravit per organum Domini Cardinalis Pictavienſis, ut in ſchedula continebatur, cujus tenor ſequitur & eſt talis.*

*Sancta Synodus, ſeu hoc Sacrum Generale Concilium Dominos Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. nuncupatos, de Papatu contendentes, & quantum in eis eſt Eccleſiam Dei notorie in-ſchi*

*ſmate*

*ſmate tenentes, legitime requiſitos, vocatos; & proclamatos in cauſa ſchiſmatis & fidei ad hoc præſens Sacrum & Generale Concilium, & omnia in eo agenda non venientes, ſeu non comparentes legitime per ſe, nec per alios, nec termino ſtatuto ſatisfacientes, licet expectatos poſt terminum per duas Seſſiones, reputat, decernit, & declarat in cauſa ſchiſmatis & fidei contumaces, ponitque in contumacia & defectu, & ordinat in eorum contumacia debere ad ulteriora procedi & procedendum fore: Ordinans Seſſionem aliam fieri die Lunæ poſt Dominicam in Albis, quæ erit* XV. *menſis Aprilis: ad quam diem ordinat præſens Sacrum Concilium Dominum Cardinalem Tudertinum Domino Gregorio adhærentem, & Dominos Ja. Sabinenſem Epiſcopum, ſancti Adriani, ſanctæ Mariæ in via lata, de Fliſco, & de Chalanco vulgariter nuncupatos; Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, Domino Benedicto adhærentes; de benignitate expectandos fore, cum intimatione; quod ſi prædicti duo contendentes, & præfati Domini Cardinales non comparuerint in dicto termino, ad ulteriora procedetur, eorum contumacia non obſtante. Ordinavit nihilominus præſentem ordinationem in valvis præſentis Cathedralis Eccleſiæ affigi publice, ut de præmiſſis non valeant ignorantiam allegare.*

SES-

Digitized by Google

## SESSIO QUARTA.

QUa die xv. menſis Aprilis adveniente, Miſſa ibidem celebrata, & aliis, quæ ad divinum cultum ſpectant, ut moris eſt in Concilio Generali, & (ut ſupra declaratum eſt) comparuerunt Ambaſſiatores Ruperti de Bavaria ſecundi Imperatoris electi, qui plura publice propoſuerunt pro impugnando convocationem contendentium, ſecundo ſubſtractionem factam per Cardinales ſuæ obedientiæ, tertio unionem Collegiorum, &c. Quibus auditis, fuit eis dies aſſignata ad audiendum reſponſionem ſuper propoſitis ad XXIIII. diem dicti menſis Aprilis; fuitque his non obſtantibus proceſſus continuatus ut ſupra, vocando ad valvas Eccleſiæ, ſi duo contendentes, aut eorum alter, vel aliquis pro eis, eſſet in hac præſenti Civitate Piſana, ut ſupra: Quibus non comparentibus, fuerunt reputati contumaces, ut ſupra, continuando ſeſſionem aliam ad diem XXIIII. prædictam, quo termino pendente præfati Ambaſſiatores Imperatoris ſecundi receſſerunt illicentiati, & hoſpite non ſalutato.

## QUINTA SESSIO.

DIcta die XXIIII. menſis Aprilis adveniente, Miſſa & ſolemnitatibus ſervatis, fuit accuſata contumacia dictorum contenden-

caciæ, fundendo clare intentionem Concilii, & quod ipſi Ambaſſiatores tendebant ad impedimentum ſanctæ unionis. Et poſtmodum fuerunt dati per Concilium Commiſſarii, & nominati pro examinandis teſtibus ſuper propoſitis per Procuratorem ſeu Procuratores Concilii, & ad recipiendum inſtrumenta & probationes &c. etiam in abſentia & contumacia dictorum contendentium. Et iſta die Dominus Epiſcopus Ebroicenſis celebravit Miſſam in majori Eccleſia in præſentia ſacræ Synodi, & fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad Regem Ladiſlaum pro mitigando eum, &c. fuitque dies aſſignata ad diem Veneris proximam; ſcilicet decimam diem Menſis Maji prædicti pro alia ſeſſione.

## SESSIO OCTAVA.

QUa die adveniente ſervatis ſolemnitatibus, & cerimoniis, ut ſupra dictum eſt, pro parte Procuratotis univerſalis Eccleſiæ fuit requiſitum; quatenus Concilium ſacrum vellet determinare & ſententiare, &c. eſſe legitime factam, ac facere unum Collegium, ratificare, approbare & confirmare: convocationemque ſacri Concilii per eos factam fuiſſe, & eſſe juridice & legitime factam in loco habili, tuto, & ſecuro; ipſamque congregationem eſſe, & repræſentare Concilium univerſalis Eccleſiæ, ad ipſum-

que Concilium ſpectare & pertinere cognitionem, definitionem, & deciſionem omnimodam cauſæ unionis Eccleſiæ; & ſchiſmatis ſedandi contra duos contendentes de Papatu, Eccleſiam Dei detinentes in ſchiſmate notorie, cum omnibus pertinentiis emergentibus & connexis. Et fuit petitum, ſi placeret omnibus: Et cum magna pars reſpondiſſet, quod placebat quod ita fieret, aliqui Epiſcopi quo ad primam concluſionem contradixerunt, quorum Salisberienſis, & Ebroicenſis fuerunt, dicentes quod non poterat fieri unio duorum Collegiorum, quandiu Cardinales Benedicti ſibi obedirent, prout faciebant, alliis non obedientibus Gregorio XII. ſed ſolum Deo, & Eccleſiæ: quia turpis eſt pars, quæ non congruit ſuo univerſo. Et ita erat neceſſe quod Domini Cardinales ſe ſubtraherent, ut eſſet unio uniformitatis credentiæ & obedientiæ, *ut multitudinis credentium eſſet cor unum & anima una.* Quibus auditis, fuerunt multa hinc inde proloquuta. Et tandem procurator prædictus aſcendit pulpitum, & requiſivit quod ſancta Synodus (attenta contumacia & pertinacia duorum contendentium de Papatu in materia ſchiſmatis & fidei, & quod notorie Eccleſiam Dei detinerent in ſchiſmate contra ejus voluntatem, & violenter contra eorum juramenta & vota, ac debitum paſtoralis officii, & de eorum manifeſta colluſione

ſione ſatis conſtet) vellet & dignaretur pronunciare & declarare à tempore quo conſtitit eos non habere vel non habuiſſe voluntatem uniendi Eccleſiam per viam juratam, & pro tanto bono per Eccleſiam electam, quemlibet potuiſſe & debere recedere ab amborum obedientia, nec ulterius amplius debere eis obedire, & petiit ſi hoc placeret omnibus, & reſponſum fuit jocoſe, quod ſic, excepto quodam Epiſcopo Anglico, & uno Alemano; & nihilominus concluſum fuit ut petebat dictus Procurator. Et poſtmodum Dominus Patriarcha Alexandrinus cum Epiſcopo Saliſberienſi aſcendit Cathedram; & in ſcriptis pronunciavit ſententiam auctoritate Concilii petitioni conformem: & de omnibus concluſionibus Procurator Eccleſiæ petiit fieri inſtrumentum ad perpetuam rei memoriam. Et fuit alia dilatio conceſſa ad examinandum teſtes ad octavum diem; ſeſſione ad eandem diem aſſignata ad procedendum ulterius prout de jure, &c.

## SESSIO NONA.

DIe veneris decima ſeptima menſis Maji adveniente, celebrata Miſſa, ſolemnitatibus & ceremoniis ſervatis, Procurator Eccleſiæ aſcendit pulpitum, & fecit requiri alta voce per advocatum quod ſubtractio in præcedenti ſeſſione facta declararetur, quoniam aliqui murmurabant, &c. Et fuit de con-



Digitized by Google

conſenſu omnium in Concilio exiſtentium pronunciatum per os Domini Patriarchæ Alexandrini, licuiſſe ſe ſubtrahere ab obedientia amborum contendentium de Papatu tempore quo, &c.

Item, quod à cunctis Chriſti fidelibus erat obedientia ſubtrahenda, & ab omnibus pro ſubtracta habenda, & ita mandabat Synodus.

Item, revocatæ fuerunt ſententiæ latæ per contendentes contra ſubtrahentes.

Item, ordinatum fuit quod illi, qui erant in Concilio judices vel conjudices poterant eſſe teſtes contra contendentes.

Item, quod Commiſſarii poſſent articulos declarare.

Item decrevit tertiam dilationem ad producendum teſtes, &c. & ad ulteriora procedendum prout eidem ſanctæ Synodo videbitur expedire, diem Mercurii proximam, quæ erit XXIII. menſis Maji, ad quam diem ſtatuit & ordinavit proximam ſeſſionem, prout in quadam ſchedula ibidem lecta continetur, cujus tenor ſequitur in hunc modum;

*Sancta & univerſalis Synodus hic in Chriſti nomine congregata declarat, pronunciat, & decernit ex juſtis & rationabilibus cauſis a Petro de Luna, qui Benedictus* XIII. *& ab Angelo Corario, qui Gregorius* XII. *dicebantur, improbe contendentibus de Papatu, & ab ipſo-*

*rum*

*rum cujuslibet obedientia licuiſſe recedere libere & pure, videlicet à præfato Benedicto ex tempore quo viam ceſſionis per eum ſolemniter juratam realiter proſequi, & eam effectualiter adimplere damnabiliter omiſit; & à præfato Gregorio ex eo tempore quo viam ceſſionis per eum ſolemniter juratam, voto promiſſam & firmatam realiter proſequi, & effectualiter adimplere damnabiliter prætermiſit.*

*Inſuper ſancta Synodus ex cauſis quibus ſupra pronunciavit, ſtatuit, ordinavit, & decrevit præfatos contendentes de Papatu, ac ipſorum quemlibet, qui canonice requiſiti & vocati in præſenti cauſa ſchiſmatis & fidei fuerunt celebrati legitime contumaces, fore à cunctis Chriſti fidelibus omnimodam obedientiam ſubſtrahendam, & ex nunc in antea ab omnibus pro ſubſtracta haberi & ita obſervandum decernit pronunciat, atque mandat.*

*Proceſſus autem & ſententias condemnationum, privationum, inhibitionum, & cenſuras quaſcumque per eoſdem contendentes de Papatu, aut ipſorum alterum in præjudicium proſequutionis unionis contra ſubſtractos & in poſterum ſubſtrahendos, factos & in futurum fiendos, hæc ſancta Synodus decernit & declarat caſſos exiſtere, ac nullius roboris vel momenti, & eos caſſat & annullat qui de facto proceſſerunt aut in futurum procedent.*

*Item, eadem ſancta Synodus in favorem fidei, & ſchiſmatis extirpationem, ac pro*

*Eccleſia lacerata unienda & pacificanda decernit & declarat omnes cujuſcumque ſtatus, &c. etiam ſi Cardinalatus, &c. præfulgeant dignitate, qui in cauſa præſenti ſunt & poſſunt eſſe Judices, ſeu conjudices, ſimiliter eſſe poſſe legitimos teſtes, eorumque teſtimonio & depoſitioni fidem eſſe indubiam adhibendam.*

*Item, cum propter adverſitatem & prolixitatem articulorum in præſenti cauſa productorum poſſet teſtium examinatio diſpendio protelari, propterea ſancta Synodus decernit, pronunciat, & declarat, quod Domini Commiſſarii, ſeu examinatores ad hæc per ſanctam Synodum deputati poſſint dictos articulos declarare, & ſpecificare, ac in eis addere, detrahere, & mutare, ac interrogatoria facere, prout utilitati & accelerationi cauſæ videbunt expedire.*

*Et ex prædictis, cauſa cognita & deliberata, dat, ſtatuit, & decernit tertiam dilationem ad probandum & producendum teſtes, & ad ulteriora procedendum (prout eidem ſanctæ Synodo videbitur expedire) diem Mercurii proximam, quæ erit dies* XXII. *hujus menſis, ad quam diem ſtatuit & ordinat proximam ſeſſionem; Pronunciatum per Patriarcham Alexandrinum die* XVII. *dicti menſis Maji milleſimo quadringenteſimo nono in ſacro Concilio generali Piſis celebrato.*

SES-

## SESSIO DECIMA.

DIe Mercurii adveniente, quæ fuit XXII. menſis Maji, celebrata Miſſa, & illis quæ ad divinum officium ſpectant, Procurator Eccleſiæ fecit per Advocatum proponi, quod Domini Cardinales Laudenſis, & ſancti Angeli ſenior, & alii Prælati & Domini, dati Commiſſarii ad examinandum teſtes, & recipiendum probationes, & inſtrumenta contra duos improbe contendentes de Papatu, teſtes audiverant, & in ſcriptis redigi fecerant per Notarios ordinatos per Concilium, aliaſque probationes & inſtrumenta ad cauſam facientia receperunt, erantque parati legitimam facere relationem per unum ex ipſis Prælatis Commiſſariis, videlicet per organum Domini Archiepiſcopi Piſani, ſi Concilio placeret: Et reſpondit Concilium; Placet. Quo facto dictus Advocatus nomine quo ſupra petiit & requiſivit quatenus dicti contendentes eſſent vocati, & ad hanc diem ad audiendum teſtium publicationem Domini Cardinales cum aliquibus Prælatis & aliis more ſolito irent ad fores Eccleſiæ, & eos vocarent; aut ſi eſſent præſentes, vel aliquis pro ipſis, & de hoc fecerunt relationem pleno Concilio, quæ ſacro Concilio placuit.

II, Et tunc Domini Cardinales * de Co-



* *Hic Cardinalis de Columna poſtea fuit electus in Pontificem, & vocatus eſt Martinus V. atque Piſano Concilio perpetuo adhæſit, & Conſtantienſi interfuit, cum deliberaretur, & præfuit dum concluderetur.*

lumna, & ſancti Angeli cum aliis pluribus Prælatis & Doctoribus ac Notariis iverunt ad valvas Eccleſiæ, & alta voce petierunt; An contendentes de Papatu, vel eorum alter, aut etiam aliquis pro eis adeſſet: quibus ſic factis ad Concilium redeuntes retulerunt, nec contendentes adfuiſſe, nec aliquem pro eis comparuiſſe. Qua de cauſa, quoad iſtum actum, per Concilium fuerunt reputati contumaces, & fuit concluſum quod erat ulterius procedendum ad relationem & publicationem, eorum contumacia non obſtante. Et ſtatim dictus Archiepiſcopus Piſanus cum uno Notario ſacri Concilii aſcendit Pulpitum, in quo propoſuit, quod de mandato Dominorum Commiſſariorum ſuorum Collegarum erat ordinatus ad faciendum relationem & publicationem ſub tali forma Quod dictus Notarius ſpeciatim legeret ſingulos articulos alias datos & lectos in pleno Concilio contra dictos contendentes, ita quod ſuper quolibet articulo ſeorſum & ſeparatim dictus Dominus Archiepiſcopus Piſanus adaptaret teſtes ſuper articulos productos deſignando numerum, & qualitates, ſtatus, gradus, dignitates, & præeminentias ſingulorum teſtium, & ita factum eſt. Et quia dictus Notarius hac die legit articulos uſque ad numerum xx. Et in quolibet articulo faciebat pauſam, & poſtmodum Archiepiſco-

ſcopus Piſanus dicebat ſic; Iſte articulus eſt probatus tanquam verus, manifeſtus, & notorius per quindecim teſtes, quorum quatuor ſunt Cardinales, unus Patriarcha, quinque Epiſcopi, & quatuor Doctores, & unus Licentiatus in Decretis: & quandoque dicebat quod articulus erat probatus per decem, aliquando per viginti duos, aliquando per viginti quinque, aliquando per duodecim, aliquando plus, & aliquando minus: ita tamen quod non fuit articulus quin eſſet probatus verus ad minus per quinque teſtes omni exceptione majores. Et quia tunc erat tarde Concilium continuavit iſtum actum ad procedendum ulterius, & conſequenter in negotio principali ad primam diem, quæ erat vigeſima tertia menſis Maji.

## SESSIO UNDECIMA.

DIe vigeſima tertia Maji adveniente, ſervatis ſolemnitatibus & ceremoniis conſuetis, & devotiſſime, Notarius, qui de prædictis articulis viginti legerat, continuando materiam legere incœpit articulos ſequentes uſque ad numerum XXXVII. incluſive, & poſtmodum legit quinque alios parvos articulos, & incontinenti Archiepiſcopus Piſanus adaptabat probationes eo modo quo dictum eſt in præcedenti ſeſſione, quibus completis Advocatus Eccleſiæ aſcendit pulpitum, & propoſuit ut ſequitur.



Digitized by Google

*Reverendiſſimi in Chriſto Patres, audiviſtis ſufficientem & plenam relationem heri & hodie factam hic in veſtrum & totius ſanctæ Synodi præſentia recitatum per Reverendum Patrem Archiepiſcopum Piſanum de mandato & auctoriate Reverendiſſimorum Dominorum Cardinalium Laudenſis, & ſancti Angeli, ac Dominorum Prælatorum, & aliorum Commiſſariorum examinatorum in præſenti cauſa per hanc ſanctam Synodum deputatorum. Et quid ex eorum auctentica & ſufficienti relatione clare conſtat omnia & ſingula quæcumque propoſita & producta contra dictos contendentes, imo verius colludentes de Papatu, eſſe vera, publica, notoria, & manifeſta, ita quod non poſſint aliqua tergiverſatione celari, propterea peto, ſupplico, & requiro nomine & pro parte Procuratorum & Promotorum ad perſequutionem cauſæ præſentis, per hanc ſanctam Synodum pronunciari, decerni, & declarari omnia & ſingula in dicta petitione contenta eſſe vera, publica, notoria, & manifeſta, & ſuper his tanquam veris probatis ſufficienter, publicis, notoriis, & manifeſtis ad ulteriora procedere, prout tam magnæ neceſſitati Eccleſiæ, & pertinaciæ, contumaciæ, & obſtinationi dictorum Benedicti, & Angeli hæc ſancta Synodus videbit expedire.* Quibus auditis ſancta Synodus petiit deliberationem Concilii, & fecit pronunciari per Dominum Archiepiſcopum Piſanum in hunc modum:

*San-*

*Sancta Synodus, audita relatione, ſtatuit terminum ad deliberandum & audiendum determinationem dicti Concilii ſuper prædictis petitis & requiſitis ad diem Sabbati, quæ erit* XXV. *præſentis Maji, & ad ulteriora procedendum prout ſanctæ Synodo videbitur, ad quam diem ſtatuit proximan Seſſionem.*

## SESSIO DUODECIMA.

QUa die adveniente, ſervatis ſolemnitatibus & ceremoniis ut ſupra, Advocatus Eccleſiæ aſcendens pulpitum ſupplicavit, petiit, & requiſivit nomine quo ſupra, pronunciari ſuper notorio, prout alias latius in ultima Seſſione petierat, & requiſierat, & petitum fuit ab omnibus in Concilio præſentibus, ſi placeret, qui omnes & ſinguli reſponderunt; Placet. Quo facto Patriarcha Alexandrinus de voluntate & aſſenſu Concilii aſcendit pulpitum, & pronunciavit in ſcriptis, ut ſequitur.

*Sequitur tenor pronunciationis.*

*Sancta Synodus attenta eorum, de quibus agitur, notorietate, & quod per depoſitiones teſtium & alia documenta legitime conſtat, habitaque ſuper his deliberatione matura, decernit, pronunciat, & declarat, delicta omnia, & exceſſus, ac alia ad deciſionem neceſſaria in præſentis cauſæ deducta contra dictos Benedictum, & Gregorium de Papatu contendentes, per promotores ſeu procuratores per hanc ſanctum*

Sy-

*Synodum deputatos, fuiſſe & eſſe notoria, & tanquam ſuper notoriis fuiſſe & eſſe ad ulteriora procedendum, & tanquam in cauſa in qua imminet ſcandalum, & periculum eſt notorium in mora.*

De qua quidem pronunciatione dicti Procuratores petierunt inſtrumentum unum vel plura ad perpetuam rei memoriam à Protonotariis, & aliis Notariis ibidem præſentibus.

Quibus ita expeditis, fuit perdictum Concilium revocata poteſtas Commiſſariorum antea data ad examinandum teſtes; fuitque ſuper his data poteſtas per Concilium de eligendo & mittendo Nuncios & Legatos idoneos ad Dominum Lucanum, & ad Senenſem pro facto Eccleſiæ.

Et inſuper fuit dies aſſignata proxima Seſſioni ad diem Mercurii proximam, quæ erit XXIX. menſis Maji, ad deliberandum de citatione contendentes facienda pro audiendo ſententiam diffinitivam, & etiam pro ordinando de die ferendi dictam ſententiam, & agendi, proſequendi, ac ulterius procedendi, prout ſacro Concilio videbitur, & fuerit expediens. Et ſic dictum Concilium receſſit.

## SESSIO DECIMA TERTIA.

III. DIe Mercurii XXXIX. dicti menſis Maji adveniente, ſervatis ſolemni-

nitatibus & ceremoniis, ut ſupra, quidam valentiſſimus Magiſter in Theologia vocatus Magiſter Petrus Plaoul * aſcendit pulpitum, & propoſuit verbum Dei, videlicet; *Congregabuntur filii Juda, & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput unum.* Oſeæ 1. in fine; & deduxit pulchre exaltando Eccleſiam, & aſſerendo eam eſſe ſupra Papam, † quod deduxit pluribus rationibus; tam ex parte materiæ, ſcilicet, animarum, quam ex parte formæ, quæ eſt Spiritus ſanctus, quam etiam ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt ipſe Chriſtus, quam etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in Eccleſia triumphante. Et poſtmodum poſuit opinionem univerſitatis Pariſienſis, videlicet, quod Petrus de Luna eſt ſchiſmaticus, pertinax, & hæreticus, etiam accipiendo hæreſim proprie & ſtricte, præciſuſque ab Eccleſia Dei, ejectus à jure Papatus & privatus, ac per Concilium de facto tanquam talis ejiciendus, & privandus. Et hæc declaravit pluribus rationibus; & ſubjunxit quod de eadem opinione erant univerſitates Andegavenſis, Aurelianenſis, & To-

* *M. Petrus Plaoul fuit poſtea Epiſcopus Sylvanectenſis, & Proviſor Collegii Sorbonæ, cujus erat ſocius.*

† ***Hinc planum eſt, controverſiam de Concilii ſupra Pontificem auctoritate agitatam fuiſſe in hac Synodo Piſana. Hic enim ſumma Actorum defertur, quod eſt maxime notandum contra Bellarminum & alios, qui perſuadere volunt controverſiam ejuſmodi Synodice diſcuſſam non fuiſſe in Synodo Conſtantienſi.***

Digitized by Google

Toloſana; ipſo autem deſcendente de Cathedra, aſcendit quidam Epiſcopus Italicus, qui opinionem eentum & trium Magiſtrorum in Theologia, & plurium Licentiatorum, & Baccalaureorum formatorum; ac univerſitatis Bononienſis in quadam ſchedula publicavit, quæ eſt conformis opinioni Univerſitatis Pariſienſis.

Poſtmodum Advocatus Eccleſiæ aſcendit pulpitum, & petiit diem aſſignari ad ſententiam diffinitivam ferendam, ac etiam citationem peremptoriam decerni per Edictum ad valvas Eccleſiæ Cathedralis civitatis Piſana & loca inſignia contra dictos contendentes de Papatu, quam diem petiit aſſignari Mercurii proxima, quæ erit quinta dies menſis Junii proxime futuri: & quod illa die fieret una ſeſſio. Requiſivit inſuper, quod pendente dilatione, medio tempore, videlicet die Sabbati proxima, quæ erit prima menſis Junii, fieret una ſeſſio ad audiendum publicari certas atteſtationes ſuper novis, & antiquis de novo receptis ex abundanti cautela contra dictos duos contendentes, ſuper quibus omnibus petiit à ſacro Concilio; an placeret. Omnes autem de Concilio reſponderunt; Placet ſuper omnibus petitis & requiſitis per Epiſcopum, tam de die ſententiæ ferendæ, quam etiam de citatione & ſeſſione media: de quibus petierunt Procuratores inſtru-

ſtrumentum ad perpetuam rei memoriam. Et ſic Concilium receſſit.

## SESSIO DECIMA QUARTA.

DIe autem Sabbati adveniente, quæ fuit prima menſis Junii dicti anni milleſimi quadringenteſimi noni, congregato Concilio in Eccleſia cathedrali Piſana, & ſervatis ſolemnitatibus & ceremoniis conſuetis, ac nonnullis orationibus ad factum unionis Eccleſiæ dictis, Dominus Archiepiſcopus Piſanus aſcendit pulpitum: & quia aliqui volentes plus ſapere quam ſapere oporteat, non fuerunt ad plenum contenti de relatione alias per eum facta, tum quia multi non viderant atteſtationes, tum quia non fuerat facta relatio niſi duntaxat ſuper notorietate facta, & non ſuper veritate eorundem: Ideo ad obſervandum omnes circumſtantias, de mandato Dominorum Cardinalium, & plurium Epiſcoporum, & aliorum, qui dati fuerant Commiſſarii per Concilium ad examinandum teſtes, idcirco fecit relationem ſuam ex abundanti per hunc modum: quia primo ſumebat ſigillatim unumquemque articulum, exprimendo ejus ſubſtantiam & effectum: & poſt ſtatim ſubjungebat; ſatis iſte articulus probatur verus per tot teſtes, quorum tres ſunt Cardinales, quinque Epiſcopi, & duo Doctores, & tres Auditores, &c. Et ſic de omnibus articulis uſque ad finem, qui om-

omnes fuerunt probati veri, & quilibet per plures teſtes magnæ auctoritatis, in fineque ſubjunxit, ſi eſſent aliqui de Concilio qui vellent videre ad longum atteſtationes, quod irent die Lunæ & Martis proxima ad domum Carmelitarum, & ibidem reperirent Notarios, qui omnia ad plenum eis oſtenderent, de quibus Procurator, &c.

## SESSIO DECIMA QUINTA.

DIe Mercurii adveniente, quæ fuit V. menſis Junii ſervatis ſolemnitatibus & ceremoniis, ut alias fuerunt ſervatæ, Advocatus Eccleſiæ aſcendit pulpitum, & propoſuit quod die Mercurii ultime præterita fuit Decretum citatorium contra dictos contendentes ad audiendum Sententiam diffinitivam in præſenti cauſa unionis Eccleſiæ, ſchiſmatis, & fidei, ſcilicet ad diem hodiernam quintam menſis Junii, videlicet per Edictum ponendum & affigendum in valvis hujus Baſilicæ, & aliis locis inſignibus civitatis, prout factum fuit, prout conſtat per relationem legitimam Curſorum, ac etiam per rei evidentiam: Ideo petiit & requiſivit quod omnes Domini Cardinales, & alii Prælati ſe transferrent ad valvas Eccleſiæ prædictæ, & proclamarent, & requirerent, an dicti contendentes de Papatu improbe, aut aliquis pro eis aut aliquo ipſorum eſſet præſens, & relatione dictorum Curſorum facta, petiit Sen-

Sententiam diffinitivam in ſcriptis ferri, etiam contumacia non obſtante, quam accuſabat nomine quo ſupra. Quibus ſic factis, duo Cardinales, videlicet de Columna, & ſancti Angeli junior, & duo Archiepiſcopi videlicet Januenſis & Piſanus, pluresque Doctores ſolemnes, & Notarii ad valvas dictæ Eccleſiæ ſe tranſtulerunt, & proclamaverunt bis, aut ter; an, &c. Quibus reverſis retulerunt ſe dictos contendentes de Papatu non reperiiſſe, nec aliquem pro ipſis. Ex quo Procuratores petierunt Sententiam diffinitivam contra eoſdem contendentes, ut ſupra, etiam contumacia non obſtante. Et petiit Advocatus Eccleſiæ, ſi placeret omnibus, quod Sententia diffinitiva ferretur per Dominum Patriarcham Alexandrinum, qui reſponderunt; Placet. Quo facto dictus Dominus Patriarcha, aſtantibus ſibi aliis duobus Patriarchis, ſcilicet Antiocheno, & Hieroſolymitano, uno à dextris, & alio à ſiniſtris, & ſedens pro tribunali in dicto pulpito, in ſcriptis pronunciavit Sententiam diffinitivam contra dictos duos contendentes voce alta & intelligibili, valvis prædictæ Eccleſiæ omnibus apertis, & inumerabili multitudine populi; quantum Eccleſia poterat capere, aſſiſtente.

*Tenor Sententiæ diffinitivæ contra prædictos contendentes de Papatu.*

*Chriſti nomine invocato, ſancta & univer-*

*ſalis Synodus univerſalem Eccleſiam repræſentans, & ad quam cognitio & deciſio hujus cauſæ noſcitur pertinere, ſancti Spiritus gratia in hac majori Eccleſia Piſana congregata, ibique pro tribunali ſedens, viſis & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis productis, probatis, & agitatis in præſenti cauſa unionis Eccleſiæ, fidei, & ſchiſmatis contra Petrum de Luna Benedictum XIII. & Angelum Corario Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præſenti proceſſu & cauſa plenius continentur, ac quibuſcumque aliis ipſam ſanctam Synodum ad infraſcriptam diffinitivam Sententiam moventibus & inducentibus, habita prius inter ſeipſos, & demum inter tam copioſam multitudinem Magiſtrorum in Theologia Sacra, atque utriuſque Juris Doctorum priuſque & pluries diligenti Collatione, & tandem deliberatione matura, omnes pariter in hanc Sententiam reperiens unanimiter concordare, omnibus modo, via & jure, quibus magis & melius poteſt in prædictis contendentibus, ſeu verius colludentibus de Papatu, & cujuslibet eorum contumacia in his ſcriptis pronunciat, decernit, diffinit, & declarat omnia & ſingula crimina, & exceſſus, & alia cuncta neceſſaria ad infraſcriptam deciſionem præſentis cauſæ deducta per providos viros Magiſtros* HENRICUM DE MONTELEONE, JOANNEM DE SCRIBANIS, & BERTHOLDUM WILDENGHON *Promotores,* in-

*inſtigatores, & ſolicitatores, ſeu Procuratores deputatos ad proſequendum præſentem cauſampro deteſtandi & inveterati ſchiſmatis hujus-modi extirpatione & unione, atque reintegratione ſanctæ matris Eccleſiæ contra & adverſus Petrum de Luna, Benedictum* XIII. *& Angelum Cornrio Gregorium* XII. *de Papatu damnabiliter contendentes ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipſa ſacra & univerſali Synodo præſentata & exhibita fuiſſe, & eſſe vera atque notoria; ipſoſque Angelum Corario, & Petrum de Luna de Papatu (ut præfertur) contendentes, & eorum utrumque fuiſſe & eſſe notorios ſchiſmaticos, & antiqui ſchiſmatis nutritores, defenſores, approbatores, fautores, & manutentores pertinaces, necnon notorios hæreticos, & à fide devios, notoriiſque criminibus enormibus perjurii & violationis voti irretitos, univerſalem Eccleſiam ſanctam Dei notorie ſcandaliſantes cum incorrigibilitate, contumacia, & pertinacia notoriis, evidentibus & manifeſtis; & ex his & aliis ſe reddidiſſe omni honore & dignitate etiam Papali indignos, ipſoſque & eorum utrumque propter præmiſſas iniquitates, exceſſus, & crimina, ne regnent, vel imperent, aut præſint, à Deo, & ſacris Canonibus, fore ipſo facto abjectos & privatos, ac etiam ab Eccleſia præciſos. Et nihilominus ipſos Petrum, & Angelum, ac eorum utrumque per hanc diffinitivam ſententiam in his ſcriptis privat, abjicit,*

& præcidit, inhibendo eiſdem, ne eorum aliquis pro ſummo Pontifice gerere ſe præſumat, Eccleſiamque vacare Romanam ad cautelam decernendo; & inſuper, omnes Chriſticolas quoſcumque, etiam ſi Imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cujuslibet eorum obedientia, non obſtante quocumque fidelitatis juramento, aut alio quovis vinculo, quo illis vel eorum alteri tenerentur aſtricti, fore perpetuo abſolutos; inhibendo eiſdem Chriſti fidelibus, ne prædictis de Papatu contendentibus, ſeu eorum alteri quomodolibet obediant, pareant, vel intendent, aut conſilium, auxilium, vel favorem ipſis præſtent, aut ipſos recipiant vel receptent ſub pœna excommunicationis, & aliis à ſanctis Patribus & ſacris Canonibus inflictis, promulgatis & ordinatis. Quodque ſi parere contempſerint huic ordinationi & ſententiæ, ipſos & eorum fautores, defenſores, adhærentes, & ſequaces, etiam per ſeculares poteſtates fore compeſcendos & compeſci debere juxta divina, & ſacrorum Canonum diſpoſitiones, eadem ſancta Synodus pronunciat; decernit, & diffinit, ac inſuper omnes & ſingulos proceſſus & ſententias excommunicationis, inhabilitatis, vel alterius cenſuræ & pœnæ, privationeſque ordinum & dignitatum etiam Cardinalatus, beneficiorum, & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualeſcumque fuerint, & quocumque nomine nuncupentur ſeu nominentur contra Dominos Car-

di-

*dinales per dictos Petrum de Luna, & Angelum Corario latos & fulminatos, fuiſſe & eſſe nullos, caſſos, & irritos, nullas, caſſas, & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ vel momenti: & quatenus de facto proceſſerunt, eatenus adnullandos, caſſandos, & irritandos fore: ſicque & etiam ad cautelam, quantum expedit, omni modo & jure, quo melius poteſt, adnullat, caſſat & irritat. Et inſuper promotiones, imo verius prophanationes, quorumcumque ad Cardinalatum per dictos contendentes de Papatu, & eorum utrumque attentatas, videlicet, per dictum Angelum à die tertia Maji, & per Petrum antedictum à die XV. Junii anni proxime præteriti milleſimi quadringenteſimi octavi, fuiſſe & eſſe nullas, caſſas, irritas, & inanes: & quatenus de facto proceſſerunt, annullandas, caſſandas, & irritandas; & ſic, & etiam ad cautelam, quantum expedit omnibus, modo & jure, quibus melius poteſt, præfata Sancta Synodus per hanc ſententiam diffinitivam caſſat, irritat, & annullat.*

Ad providendum autem adverſus proceſſus, conſtitutiones & ſententias in præjudicium unionis, & alias per Petrum de Luna, & Angelum Corario olim contendentes de Papatu, ſeu colludentes præfatos, factas & latas contra Reges, Principes, Patriarchas, quoque, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiarum Prælatos, univerſitates quoque ſtudiorum, & communitates ac ſin-



Digitized by Google

gulares perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares, & certas promotiones per ipſos olim contendentes factas ad dignitates quaſcumque, & ulterius procedendum ſuper aliis bonum univerſalis Eccleſiæ tangentibus, ſancta Synodus ſtatuit diem Lunæ proximam pro ſeſſione futura, quæ erit decima menſis præſentis, & aſſignavit eandem diem Lunæ pro dicta ſeſſione ad providendum ſuper aliquibus, quæ concernunt ſtatum & bonum regimen Eccleſiæ univerſalis: quo facto omnes cantaverunt, *Te Deum laudamus:* & fuit ordinata ſolemnis proceſſio ad diem craſtinam octavam diem ſacramenti: fuitque ulterius ordinatum, quod nullus recedat de Synodo abſque licentia, & donec ſe ſubſcripſerit in ſententia prælibata.

## SESSIO DECIMA SEPTIMA.

QUa die Lunæ decima menſis Junii adveniente, ſervatis ſolemnitatibus, prout ſupra, Archiepiſcopus Piſanus ſupradictus aſcendit pulpitum, & legit quandam ſchedulam mentionem facientem quod Domini Cardinales promittebant Deo ſic, quod procurarent toto poſſe, quod is, qui in Papam eligeretur, reformaret Eccleſiam; & quod non pateretur aut permitteret Concilium diſſolvi donec de Concilio eſſet facta bona reformatio Eccleſiæ tam in capite quam in membris.

*Sequitur tenor ſchedulæ.*

*Nos omnes & ſinguli Epiſcopi, Presbyteri,* &

*& Diaconi Cardinales congregati in civitate Piſana pro ſchiſmatis extirpatione, unitate, & bono ſtatu in Dei Eccleſia inducendo, promittimus in verbo veritatis Deo, Eccleſiæ Romanæ, & Synodo hic in Chriſti nomine congregatæ, quod ſi quis noſtrum in ſummum Romanum Pontificem eligatur, præſens Concilium continuabit, nec diſſolvet, nec diſſolvi permittet, quantum in eo erit,* uſque quo per Concilium ejuſdem Concilii ſit facta debita, rationabilis, & ſufficiens reformatio univerſalis Eccleſiæ & ſtatus ejus tam in capite quam in membris. *Et promittimus etiam quod ſi aliquem de Dominis Cardinalibus abſentibus, vel de extra noſtrum Collegium, aſſumi contingat in Papam veraciter & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto poſſe habere ab eo promiſſionem & ſufficientem ſecuritatem quod ſervabit & implebit omnia & ſingula ſupra dicta. Et interim de lata ſententia contra contendentes ſuper eorum electione de Papatu ſumus contenti, & ratum habemus quod ſede vacante Concilium continuetur, & quod in eo, quantum commode fieri poterit, in dicta reformatione procedatur: & quod ſuper hoc in proxima Seſſione alia Seſſio indicatur*; & fuit aſſignata alia Seſſio ad diem Jovis proximam, quæ erit XIII. dicti menſis Junii, ad providendum ſuper aliquibus, quæ notoria videntur pro bono unionis.

## SESSIO DECIMA OCTATA.

DIcta die Jovis adveniente, ſervatis ſervandis, Patriarcha Alexandrinus cum aliis duobus Patriarchis, videlicet Antiocheno, & Hieroſolymitano, aſcendit pulpitum, & legit quandam ſchedulam, cujus tenor ſequitur, & eſt talis;

*Item, quia hujus peſtiferi ſchiſmatis tempore Dominorum Cardinalium in ſacro Concilio exiſtentium quidam ſunt à diviſis olim per contendentes de Papatu creati; & nunc Deo dirigente procedendum eſt ad electionem unici & indubitati ſummi Pontificis, hoc ſacrum Concilium Univerſalem Eccleſiam repræſentans, diſponit, & ordinat, quod ipſi ſic à diviſis creati ad electionem prædictam procedant, ſi & in quantum opus eſt hac vice, auctoritate hujus ſacri Concilii: nec per hoc poteſtati Dominorum Cardinalium circa electionem Romani* Pontificis *intendit in aliquo derogare, nec aliquid innovare: ſed hortatur omnes prædictos Dominos Cardinales, quod ipſi cum charitate ad electionem unius Paſtoris procedant ſic unanimiter, quod de quacumque diſcordiæ ſcintilla notari non debeant.*

## SESSIO DECIMA NONA.

DIe Veneris XIIII. menſis Junii, anno Domini M CCCC IX. facta proceſſione generali in civitate Piſana, in qua fuerunt Do-

Domini Cardinales, Patrichæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Doctores, & totus Clerus: Et fuit Miſſa celebrata devote per Cardinalem de Thurego ſuper facto unionis Eccleſiæ. Poſtmodum comparuerunt illico Ambaſſiatores Regis Aragonum, & petierunt audientiam, quæ fuit eis conceſſa: dum tamen docerent de eorum mandato, & quidam Doctor Ambaſſiator ipſius Regis aſcendit pulpitum, & propoſuit bonam Regis Aragonum intentionem, quam habet ad ſanctæ matris Eccleſiæ unionem, & aſſerebat ſe ad hoc laboraturum, & petiit ſe de actis in Concilio agitatis informari: quoniam informatione habita, paratus erat facere debitum: proteſtabatur tamen, quod non intendebat approbare vel conſentire aliquo modo actis in dicto Concilio, donec eſſet plenius informatus, de quo petiit inſtrumentum: & inſuper dixit, quod nuncii Domini Benedicti Papæ XIII. erant in villa (& fuit tunc ſibillatus & illuſus, quia dixit & vocavit eum Papam) & petiit audientiam pro eis, ad quod fuit reſponſum regratiando de voluntate Regis Aragonum, & fuit reſponſum quod libenter darentur deputati auctoritate Concilii, qui ipſos Regis Ambaſſiatores informarent ad plenum de omnibus, &c. Quo ad Nuncios Petri de Luna, dictum fuit quod tarde venerant, & quod ad præſens audiri non poterant, & quod Domini

ſuper hoc deliberarent. Poſtea fuit deliberatum ea die, quod licet de jure contra ſententiam latam contra hæreticum audiri non debebant, tamen ob reverentiam Regis Aragonum audirentur ad partem, & ſic Concilium receſſit.

Eadem die Veneris, prandio ſumpto, in Eccleſia ſancti Martini Piſis, cum Legati Regis Aragonum petentes audientiam pro Nunciis Petri de Luna, quæ fuerat eis conceſſa, veniebant ad dictam Eccleſiam, fuit clamatum contra eos tanquam contra Judæos; & quando intraverunt locum Concilii nulla eſt eis reverentia facta, & fuit coram eis ſententia lecta tribus Cardinalibus deputatis audientibus. Et cum unus ex ipſis Ambaſſiatoribus Petri de Luna, ſcilicet, Archiepiſcopus Tarraconenſis vellet proponere, ipſe primo dixit, quod erant Nuncii Domini Benedicti Papæ XIII. fuit magnus tumultus contra eos, & fuit vocatus Nuncius hæretici & ſchiſmatici, & cum eo Joannes de Coſta olim Epiſcopus Mimatenſis, qui ſe gerebat pro Nuncio dicti Petri cum pluribus aliis: & ſilentio facto iterum petiit audiri, quo conceſſo incœpit dicere quod videbat certa Capitula concordata inter Dominos Cardinales & communitatem Florentinorum, in quibus inter cætera continebatur, quod nullus hic veniens poſſet impugnare facta in Concilio vel contravenire: & quod habebat aliqua dicere, quæ

forte

forte non bene conveniebant actis in hoc Concilio: ideo non poterat proponere injuncta ad plenum, niſi daretur ſibi ſecuritas, quod non obſtantibus ipſis capitulis poſſet libere loqui; & de hoc ſupplicabat: cui per Cardinalem Aquilejenſem fuit reſponſum, quod omnes Domini Cardinales erant præſentes, & quod non habebant poteſtatem diſpenſandi contra dicta capitula: & quod ſi vellet loqui, quod loqueretur prout crederet expedire, alias non; quo audito Legati Regis Aragonum, & dicti Petri de Luna Nuncii loquuti ſunt ad partem, poſtmodum dixerunt quod volebant latius dicta capitula videre & amplius deliberare, & petierunt dilationem ad craſtinum, quæ fuit eis conceſſa, & receſſerunt dicti Nuncii Petri de Luna cum magno timore. Quo craſtino adveniente, quæ fuit dies xv. Junii ſupra nominati Nuncii Petri de Luna, nulla audientia ulterius petita, hoſpite inſalutato receſſerunt.

## SESSIO VIGESIMA.

IV. Dicta die Sabbati xv. Junii, ſervatis ſolemnitatibus & ceremoniis (ut ſupra) conſuetis, fuit Miſſa celebrata in dicto Concilio in Eccleſia Cathedrali de ſancto Spiritu, per Archiepiſcopum Lugdunenſem, & factus ſermo per Epiſcopum Novarienſem, qui cæpit pro themate, *Eligite*

*gite meliorem, & eum ponite ſuper ſolium,* IIII. Regum. cap. x. &c. & peroptime deduxit illam materiam, & ipſo finito Concilium receſſit.

Eadem die Sabbati hora Veſperorum Domini Cardinales numero XXIIII. intraverunt Conclave cum magna devotione; & erat deputatus ad cuſtodiendum Conclave Magiſter Rod. prout fecit cum pluribus aliis notabilibus viris in domo Domini Archiepiſcopi dictæ Civitatis, & ibidem ſteterunt uſque ad diem Mercurii XXVI. dicti menſis Junii.

Die autem Mercurii XXVI. dicti menſis Junii, omnes Domini Cardinales unanimiter, nullo reclamante, exiſtentes in prædicto Conclavi, de mane circa horàm tertiarum elegerunt in Summum Pontificem Reverendum in Chriſto Patrem & Dominum, Dominum Petrum de Candia tituli Baſilicæ XII. Apoſtolorum Presbyterum Cardinalem, Mediolanenſem nuncupatum, Ordinis Fratrum Minorum, nunc vero Alexandrum Papam V. Ipſe ſiquidem Papa poſt ſuam aſſumptionem ordinavit unam Seſſionem pro uno Conſilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ primam menſis Julii proxime venientis.

## SESSIO VIGESIMA PRIMA.

QUa die Lunæ adveniente, fuit celebratum Concilium in Eccleſia Piſana, ut ſu-

ſupra ; ac ſolemnitatibus & cerimoniis ſervatis , Cardinalis de Thureyo celebravit Miſſam : Poſtmodum fuerunt cantata ſolita cantari , & Letaniæ cum multis Orationibus , & fuit lectum Euangelium per unum Diaconum Cardinalem. Poſtea Papa incœpit hymnum , *Veni Creator Spiritus* , *&c.* Et omnes de Concilio reſponderunt. Quo cantato , Cathedra Papæ fuit alte poſita ante magnum Altare in medio : & ab oppoſito ipſius verſus Occidentem in ultima parte Concilii fuerunt poſitæ tres altæ & magnæ Cathedræ pro tribus Patriarchis , ſcilicet , Alexandrino , Antiocheno , & Hieroſolymitano , qui ibidem ſederunt. Et poſtea de mandato Papæ ibidem Præſidentis fuit lectum Decretum ſuæ Electionis , in quo omnes Cardinales ſe ſubſcripſerant , quo lecto , Cardinalis de Chalanco rogavit Concilium , ut oraret pro ſtatu Papæ , & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ , quo facto , Papa fecit unum Sermonem themate ſic incipiente ; *Erit unum Ovile , & unus Paſtor.* Multa pulchra dixit , narrando quomodo Paſtor ſe habere debet erga gregem , & grex erga Deum ; & regratiabatur Cardinalibus , & promittebat multa bona facere eis , quo facto Cardinalis ſancti Euſtachii , dictus Bononienſis aſcendit pulpitum , & ex parte Papæ Alexandri V. aliqua promulgavit , quæ ordinaverat dictus Dominus noſter Papa.

Et

Et primo omnes Proceſſus, Sententias, & Ordinationes, factas per Dominos Cardinales circa factum unionis Eccleſiæ à die tertia menſis Maji anni Domini milleſimi quadringenteſimi octavi, & omnia facta in Concilio Generali approbavit & ratificavit, & omnem defectum Juris & facti, ſi quis interveniſſet, ſupplevit, ſi & in quantum opus eſſet.

Item, duo Collegia Cardinalium univit, & unum fecit Collegium, & pro uno in poſterum voluit haberi; & dabit ſingulis ſingulos titulos, & de commorantibus ordinabit.

Item, impedimentum appoſitum in beneficiis Cardinalis de Chalanco, ſub prætextu quod diu ſteterat cum Petro de Luna, ſub prætextu ſuarum excuſationum alias per Cardinales admiſſarum relaxavit.

Item dixit, quod tantum faceret erga Prælatos, qui ad Concilium venerant, quod ad eorum lares læti & gaudentes reverterentur.

Item dixit, quod ipſe volebat vacare circa reformationem Eccleſiæ, prout fuerat per Cardinales promiſſum ante ejus promotionem, & quod eligerentur probi viri & literati de qualibet natione pro ſua ad deliberandum cum ipſis Cardinalibus ad reformationem Eccleſiæ.

Item, fuit ordinatum quod die Dominica ſequenti coronaretur cum ſolemnitatibus & aliis neceſſariis ad præmiſſa.

Item,

Item, fuit ordinata alia Seſſio ad diem Mercurii tunc proxime ſequentis, quæ erit dies decima menſis Julii, & ſic dictum Concilium receſſit.

## SESSIO VIGESIMA SECUNDA.

QUa die Mercurii x. Julii adveniente, Miſſa celebrata per Archieſcopum Januenſem, & aliis ceremoniis ſervatis circa Officium divinum, Domino noſtro Papa præſidente: pro parte communitatis Florentinorum aſcendit quidam Juriſperitus pulpitum, incipiens pro themate; *Offer te Domino tuo, & redde ei debitum tuum:* In hoc themate cœpit tria intelligenda; Primum, fuit veneratio: Secundum, gratulatio: & tertium, oblatio. Veneratio debita tantæ & tam ſolenni congregationi Prælatorum & aliorum Concilium Generale conſtituentium. Secundum, gratulatio quam habebant Florentini de tam nobili aggregatione, quam pro tanto bono venerantur, ut finem debitum & intentum inveniat, ſanctam ſcilicet unionem Eccleſiæ in unico Univerſali vero & indubitato Paſtore. Tertium fuit oblatio: nam poſtquam dixit labores, miſerias, & Ambaſiatas, quas communitas Florentina fecerat in proſequutione unionis Eccleſiæ, addidit quod civitas prædicta ſe offerebat ſecundum poſſibilitatem, & uſque ad excidium proprium, proſequi extirpationem ſchiſmatis,

Digitized by Google

tis, & Literas exhibuit credentiæ quas legit poſtmodum Archiepiſcopus Piſanus.

Poſtea unus alius Juriſperitus ex parte civitatis Senarum aſcendit pulpitum, & tria ex parte ipſorum expoſuit; Primo, divinum auxilium imploravit: Secundo, orationem ſuam ſe abbreviaturum proteſtatus fuit: Tertio, condeſcenſurum ad ea quæ ſibi commiſſa fuerant. Primitus dicere habuit, quod IV. Julii totus Populus & Clerus Senarum ſubtraxerat obedientiam Gregorio, & declaraverat ſe velle obedire Domino noſtro Papæ Alexandro, & ſuo ſancto Collegio. Recitavit diligentias & labores, quos civitas Senarum fecit proſequendo unionem, & accepit pro themate: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam*, *Iſaiæ* IX. quod applicavit populo Senarum pro tempore quo obedivit Gregorio: ſed poſtquam converſus eſt ad obedientiam Domini noſtri Papæ vidit lucem magnam. Secundum thema, quod applicavit Sacro Concilio Eccleſiæ, fuit; *Gonus electum, regale Sacerdotium; Gens ſancta, populus acquiſitionis, quem revocavit de tenebris ad manum ſuam*: Et omnes partes hujus thematis oſtendit debite convenire huic Sacro Concilio. In fine dixit, civitatem Senarum paratam exponere quicquid haberet ad proſequutionem unionis & extirpationem ſchiſmatis. Et recitavit, quod inimici noſtri

Pa-

Papæ ſuccumbebant quotidie : Et quod in uno conflictu recenter facto magna multitudo inimicorum perierat. Quibus ſic actis Cardinalis de Chalenco aſcendit pulpitum, & legit ſchedulam infraſcriptam.

*In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Pàtris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Nos Alexander divina providentia Papa* V. *conſiderans quod tam per Petrum de Luna Benedictum* XIII. *& Angelum de Corario Gregorium* XII. *à nonnullis nominatos, nuper de Papatu contendentes, quam per quondam Bartholomeum Archiepiſcopum Barenſem Urbanum* VI. *Petrum de Thomaſſinis Bonifacium* IX. *Coſmatum Innocentium* VII. *& Robertum de Gebenna Clementem* VII. *nominatos, dictorum nuper contendentium prædeceſſores, durante tempore ſchiſmatis & occaſione ejuſdem, nonnulli proceſſus, ſententias excommunicationis, privationis, irregularitatis, inhabilitationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ac alias cenſuras Eccleſiaſticas in ſe continentes in & contra Collegia, diviſas perſonas, regna, juriſdictiones, communitates, univerſitates, collegia, loca, diſtrictus, & territoria fuerunt & ſunt hinc inde facti & promulgati, ac propter antiquos dictum ſchiſma, ac etiam quia multi notabiles doctores utriuſque juris, & Magiſtri in ſacra pagina ſcripſerunt pro & contra, ac publice & ſolenniter determinaverunt, ita ut in dubium vertatur à multis quis à tempore*

*dicti ſchiſmatis fuerit verus Romanus Pontifex, ſeu quis veri Vicarii* JESU *Chriſti fungeretur officio ad exonerationem conſcientiarum utriuſque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad unum ovile ovium redactæ ſunt, omnes & ſingulos hujuſmodi proceſſus & ſententias, qui vel quæ occaſione ſchiſmatis & adhærentiæ utriuſque partis, ſeu prætextu viæ neutralitatis aſſumptæ vel introductæ, hinc inde (ut præmittitur) lati, decretati, ſeu fulmimati fuerunt, quos omnes & ſingulos hic pro expreſſis haberi volumus, hoc ſacro approbante Concilio ex noſtra certa ſcientia tollimus & abolemus, ac pro ſublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus, neminem præfatis ſententiis aut proceſſibus eſſe ligatum vel involutum declarantes: & nihilominus ex abundanti ad cautelam, ac ſi & in quantum indigent, quoſcumque ſupradictis proceſſibus comprehenſos à dictis ſententiis, & cenſuris abſolvimus & abſolutos haberi decernimus & declaramus; & ſuper irregularitatibus, ſi quas propter præmiſſa vel occaſione præmiſſorum contraxerint, diſpenſantes.*

Item fuit ordinatum aliam ſeſſionem fieri debere ad diem Mercurii tunc proximam, quæ poſtea fuit de mandato Domini noſtri Papæ prorogata propter adventum Regis Ludovici interim ſupervenientis ad diem XXVII. Julii.

SES-

## SESSIO VIGESIMA TERTIA.

QUa die XXVII. Julii adveniente, Miſſa, cerimoniis, & aliis ſolemnitatibus ſervatis, Dominus Cardinalis de Chalanco indutus tunica Diaconali & Mitra de mandato Domini noſtri Papæ aſcendit pulpitum pluribus Prælatis aſſociatus, legitque Articulos & Capitula ſubſequentia.

*Sacro approbante Concilio, omnes & ſingulas promotiones, translationes, confirmationes, collationes, & quaſcumque proviſiones, quibusvis perſonis huic ſacro Concilio, & ejus determinationi adhærentibus, de quibuſcumque prælaturis, dignitatibus, beneficiis, & officiis Eccleſiaſticis, Curatis, vel non Curatis, conſecrationesque Epiſcoporum, & ordinationes Clericorum, per ipſos contendentes de Papatu, aut eorum alterum, ſeu ipſorum prædeceſſores, vel eorum mandato aut auctoritate, temporibus & locis, in quibus eiſdem realiter & libere præſtabatur obedienta, dum tamen ante ſententiam definitivam & alias canonice factæ ſint, & publice ac pacifice tempore ſententiæ poſſederint, & in præjudicium unionis aut proſequutionis ejuſdem, vel huic Concilio adhærentium factæ non fuerint, ex certa ſcientia & motu proprio ratificamus, & approbamus, ac ratas haberi volumus atque firmas, & etiamſi oporteat de novo providemus.*

*Ubi autem aliquis caſus emergeret, per quem*

*apparet aliquem huic Concilio adhærentem gravatum per alterum ex contendentibus à die tertia* Maji *quoad Angelum Corario, & à die* XV. *Julii quoad Petrum de Luna, anni videlicet milleſimi quadringenteſimi octavi; Placet Concilio quod dictus Dominus noſter Papa provideat, ut ſibi juſtum eſſe videbitur. Item, placet Concilio, quod ſuper facto Archiepiſcopi Januenſis Dominus noſter provideat.*

*Item, electiones, poſtulationes, ipſarum admiſſiones, confirmationes, mutationes, conſecrationes, Clericorum ordinationes, præſentationes, inſtitutiones, collationes, & privationes quaſvis, proviſiones & diſpoſitiones quibusvis perſonis huic ſacro Concilio & ejus determinationi adhærentibus de quibuſcumque beneficiis Eccleſiaſticis, & Prælaturis per electores, confirmatores, patronos, ordinatores, & quoſcumque proviſores ad hoc poteſtatem & auctoritatem habentes, canonice factas, temporibus & locis ſubſtractionis & neutralitatis, in quibus hujuſmodi contendentibus obedientia præſtabatur, dummodo alias canonice factæ ſint, hoc ſacro approbante Concilio ratificamus & approbamus, & ratas habere volumus atque firmas, ac omnem ſuſcipere roboris firmitatem, reſervationibus non obſtantibus quibuſcumque, declarationibus tamen & decretis hoc Capitulum concernentibus in aliis Seſſionibus lectis in ſuo robore permanentibus.*

*Item, ut unione & pace jam in Dei Eccleſia per*

*per ipſius gratiam in capite confirmata, pax & tranquillitas ſubditorum perfectius procuretur, & litium anfractus, quarum dubii ſunt eventus, conſultius evitentur, hoc ſacro approbante Concilio decernimus & declaramus, quod omnes & ſinguli beneficia Eccleſiaſtica, dignitates, perſonatus, vel officia curata vel non curata titulo ordinario aſſequuti, & poſſeſſionem pacificam jam adepti, dum tamen canonice, & alias quam per privationem adhærentium huic ſacro Concilio & ejus determinationi aſſequuti fuerint, beneficiis hujuſmodi libere & pacifice gaudeant, nec in jure, titulo, ſeu poſſeſſionibus ſuis quomodolibet inquietentur, turbentur, ſeu graventur, etiamſi ſpecialiter vel generaliter beneficia prædicta ſedi Apoſtolicæ fuerint reſervata.*

*Per præmiſſa vero ſeu aliquod præmiſſorum* non intendimus derogare ordinationibus circa præmiſſos articulos factis in ultima congregatione Prælatorum & aliorum virorum Eccleſiaſticorum facta Pariſiis: *nec etiam ex præmiſſis vel aliquo præmiſſorum volumus aliquod præjudicium generari venerabilibus fratribus noſtris Cardinalibus, aut alicui ipſorum huic ſacro Concilio & ejus determinationi nunc adhærentium in beneficiis, & alias per ipſos & quemlibet ipſorum canonice poſſeſſis. Per hoc autem etiam non intendimus fieri aliquod præjudicium venerabili fratri noſtro Cardinali Albanenſi in jure quod habet in Archidiaconatu Eccleſiæ Lucionenſis.*

 Item,

*Item, ſacro approbante Concilio decernimus fore procedendum contra obedientes & adhærentes pertinaciter, ſeu fautores Petri de Luna, & Angeli Corario nuper de Papatu contendentium & colludentium, per hoc ſacrum Concilium de ſchiſmate & hæreſi notoriis per diffinitivam ſententiam condemnatorum, modis quibus eſt contra credentes & fautores hæreticæ pravitatis ſecundum ſacros Canones procedendum.*

*Item, ſacro approbante Concilio decernimus nos vel ſucceſſorem noſtrum ex certis magnis & arduis cauſis nos & hoc ſacrum Concilium moventibus iterum generale Concilium * fore convocandum hinc ad triennium, videlicet anno quo dicetur Anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo in menſe Aprilis in civitate ſeu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus Concilii per nos vel ſucceſſorem noſtrum.*

*Item, ſacro approbante Concilio decernimus & declaramus, quod ſi Cardinalis de Fliſco infra duos menſes proximos perſonaliter ad nos venire & obedientiam nobis præſtare, & determinationi hujus ſacri Concilii adhærere voluerit, benigniter recipiatur cum integritate ſtatus & honoris atque beneficiorum, quæ* XV. *Junii anni milleſimi quadringenteſimi octavi obtinebat.*

*Item, omnes diſpenſationes factis per Epiſcopos diœceſanos in partibus neutralibus ſuper defectu ætatis cauſa aſſequendi & obtinendi be-*

* Indictio Synodi Conſtantienſis.

*ne-*

*neficia, dignitates, & prælaturas; Item omnes abſolutiones, & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes quam per Ordinarios prædictos, ſchiſmate pendente factas ſuper caſibus ſanctæ Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ex certa noſtra ſcienta hoc ſacro approbante Concilio ratificamus & approbamus.*

Poſt prædicta Archiepiſcopus Piſanus in pulpito prædicto pronunciavit quod Dominus noſter Alexander Papa V. oculum miſericordiæ, & viſcera compaſſionis & pietatis ſuæ convertens ad Eccleſias deſolatas, ruinoſas, & in magna neceſſitate conſtitutas liberaliter remittit & indulget omnia arreragia majora, minora ſervitia ab eis ſuæ cameræ Apoſtolicæ debita de toto tempore præterito uſque ad tempus ſuæ aſſumptionis.

Item, idem Dominus noſter notificavit omnibus per organum dicti Domini Archiepiſcopi Piſani, quod non intendit à modo, ut antea, reſervare bona ſeu ſpolia Prælatorum, & aliorum morientium non Prælatorum.

Item, quod non intendit reſervare fructus medii temporis beneficiorum vacantium.

Item, ſupplicavit idem Dominus Archiepiſcopus nomine totius Concilii Dominis Cardinalibus, quod portionem competentem eiſdem de arreragiis præteriti temporis



Digitized by Google

vellent Eccleſiis & viris Eccleſiaſticis remittere liberaliter, quemadmodum Dominus noſter fecerat in portione eum tangente: Et petiit à Concilio, an hoc placeret ſibi, & quod expreſſe diceret, Placet. Dominus Cardinalis Albanenſis ſolus ſe oppoſuit.

Item, idem Archiepiſcopus pronunciavit proxime futuram Seſſionem fiendam ad diem Veneris ſequentem de mandato Domini noſtri Papæ; & quod nullus interim recederet ſine licentia Papali. De iſtis omnibus hac die expeditis Promotor ſeu Procurator Eccleſiæ petivit unum vel plura inſtrumenta confici per Clericos Cameræ, & Notarios Concilii ad perpetuam rei memoriam.

Item, in hac Seſſione dictum fuit, quod Dominus noſter provideret Archiepiſcopo Januenſi ſuper Archiepiſcopatu ſuo. Etiam placuit Concilio quod Dominus Cardinalis Albanenſis proſequeretur jus quod habere prætendebat in Archidiaconatu Lucionenſi. Succeſſive præfatus Dominus noſter Papa Seſſionem fiendam certis de cauſis animum ſuum moventibus continuavit uſque ad diem Mercurii VII. menſis Auguſti tunc proxime ſequentis.

## SESSIO VIGESIEA QUARTA.

DIe Mercurii VII. Auguſti adveniente, ſolemnitatibus & ceremoniis ſervatis cir-

circa officium divinum; ſanctiſſimus in Chriſto Pater Dominus noſter, ſacro approbante Concilio, ordinavit quod bona immobilia Eccleſiæ Romanæ, ſeu aliarum Eccleſiarum nullatenus per ipſum vel alios Prælatos alienentur, ſeu hypothecentur uſque ad proxime indictum Concilium, in quo ſuper hoc articulo maturius poterit deliberari.

Item, idem Dominus noſter, eodem approbante Concilio ordinat & mandat celebrari ante Concilium generale Concilia provincialia per Metropolitanos & Synodos, ac eorum Suffraganeos ſecundum formam juris, & Concilii generalis; quia ex eorum omiſſione multa inconvenientia ſequerentur.

Item, idem Dominus noſter, eodem approbante Concilio, ordinat & mandat celebrari capitula Monachorum nigrorum, & Canonicorum regularium ſecundum formam Concilii generalis, & conſtitutiones fœlicis recordationis...... & Benedicti XII. Et quia limitatio Provinciarum facta per Benedictum XII. non poſſit de præſenti, obſtante temporis malitia, obſervari, ordinat dictus Dominus noſter, quoad dicta Capitula celebranda, ſtandum juri antiquo, durante impedimento prædicto, videlicet, ut Provincia communis & vulgaris poſſit per ſe Capitulum provinciale celebrare, ex quo commode cum alia non poſſit convenire: &

deputabit Dominus noſter præſidentes, & exequutores ad præmiſſa exequenda.

Item, idem Dominus noſter, eodem approbante Concilio, diſponit non facere tranſlationes de invitis, niſi parte vocata & audita, & de conſenſu majoris partis Cardinalium uſque ad proxime indictum Concilium, niſi ex cauſis juſtis & rationalibus.

Item, Dominus noſter, ſacro approbante Concilio; decernit, quod ex parte ipſius Domini noſtri cum Cardinalium conſilio deputabuntur Nuncii ſolemnes, qui mittentur ad Reges, & Principes, & certos fideles, ad publicandum & proſequendum auctoritate ipſius Domini noſtri Papæ & ſacri Concilii Acta in hoc Concilio.

Item, Dominus noſter auctoritate Dei, Apoſtolorum Petri & Pauli, & ſua concedit omnibus, qui in hoc Concilio interfuerunt, & ejus determinationi adhærentibus abſolutionem plenariam à pœna & culpa ſemel tamen in vita, ita quod quilibet de prædictis infra duos menſes poſtquam ad ejus notitiam conceſſio hujuſmodi pervenerit poſſit dictum beneficium abſolutionis aſſequi in forma Eccleſiæ. Similem conceſſionem facit Dominus noſter ſingulis ſupradictis in mortis articulo, intelligendo tam de Dominis, quam de familiaribus.

Item, cum Dominus *noſter Papa cum conſilio Concilii intenderet reformare Eccleſiam in*

*ca-*

*capite & in membris; & jam multa per Dei gratiam* ſint expedita per ipſum Dominum noſtrum Papam: & multa alia ſtatum & favorem Prælatorum ac aliorum inferiorum concernentia reſtent, quæ proper regreſſum Prælatorum & Ambaſſiatorum de præſenti expediri non poſſunt; propterea idem Dominus noſter, ſacro requirente & approbante Concilio, dictam reformationem ſuſpendit & continuat uſque ad proximum jam indictum Concilium, & præſens Concilium prorogat & continuat uſque ad illum terminum, qui præfixus eſt omnibus ad Concilium convocatis, redeundi ad proprias ædes uſque ad terminum præfixum ſupradictum.

Porro cum in omnibus Actis Piſani Concilii videamus Patres ſemper Petrum de Luna præpoſuiſſe Angelo Corario qui Gregorius XII. in ſua obedientia nuncupabatur: Inde perſpicuum redditur, illos longe differentem ſenſum habuiſſe à Platinæ, & aliorum Curiæ Romanæ ſcriptorum opinione: qui nullam Petri de Luna mentionem faciunt niſi in vita Angeli Corarii: quorum privata ſcripta Actis publicis generalis Concilii poſtponi oportere nemo neſcit: & continuo juxta Patrum Piſanorum ſententiam Petrum de Luna potius habitum pro legitimo Pontifice quam Angelum Corarium.

Actis Piſani Concilii ſubjiciendum opinor, Alexandrum V. qui eſt à Piſanis Patribus

coo-

cooptatus ad ſummum Pontificatum, vocatum fuiſſe Petrum Philaretum, aut Petrum de Candia, propterea quod oriundus eſſet ex Creta Inſula: nomen vero à prima ætate ordini Minorum dederat, & anno MCCCCIV. gradum Magiſterii in Theologia Lutetiæ adeptus erat.

V. Quamprimum eſt inauguratus in Papam, Religioſi Mendicantes ab illo immenſa privilegia impetrarunt: deinde etiam Judices Apoſtolicos miſit in Franciam, qui extraordinarie de cauſis cognoſcerent, unde Eccleſiæ Gallicanæ libertates convellebantur; idque novam præbuit occaſionem Pariſienſi Academiæ graviter conquerendi, cujus rei teſtis eſt *Sermo Gerſonii contra Bullam Mendicantium* factus in ſupplicatione generali, quam Bullam Doctor Chriſtianiſſimus vocat *obreptitiam*, quippe quæ ſtatim poſt conſecrationem Alexandri extorta fuiſſet. *Hæc turbatio accidit propter ſcripturam*, ait *in forma Bullæ, quam aliqui ordinum quatuor Mendicantium impetrarunt, aut (ut verius dicatur) extorſerunt, vel per cautelam, vel per inadvertentiam ſancti Patris noſtri. Sanctus enim Pater noſter, qui magnus eſt Theologus, nunquam rem talem admiſiſſet, ſi eam examinaſſet: ſed (ut per ſolemnes in Univerſitate relatum eſt Magiſtros) omnia facta fuerunt ipſo ignorante, & ipſo invito, ſaltem ſine ſuo judicio aut deliberatione, ſicut homines occu-*

*pati*

*pati concedunt per importunitatem, aut per cautelas, aut aliquam largam conſcientiam plures res aliis. Hæc ergo eſt prima proteſtatio, quia Dominus Epiſcopus Pariſienſis, nec ſui, nec Univerſitas, nec ego ipſe intendimus aliquid dicere in præjudicium, aut ſancti Patris noſtri inhonorationem. Tenemus enim quod poſtea quam bene fuerit inſtructus ipſe ceſſabit omne hoc, aut deſtruet de quo conquerimur*, &c. Hactenus Pariſienſis Cancellarius, qui rogatu D. Epiſcopi Pariſienſis hanc habuit Concionem lingua vulgari in ſupplicatione generali, ut jam dixi; quæ Concio dehinc à neſcio quo verbum de verbo tranſlata eſt in linguam Latinam: idque in cauſa eſt, ut impuriore ſtylo & pene barbaro ſcripta ſit. Idem Gerſonius alio ſermone, quem coram Alexandro V. die Aſcenſionis Dominicæ pronunciavit, eadem de re conqueritur; atque exordium ita ſumpſit: *Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſraël*, *Actor.* 1. Ibi per Proſopopeiam ſic Eccleſiam loquentem inducit: *Sed heu! quid de calamitate præſentium querar miſera? quibus pro cœleſti ordine perturbor confuſione, & ex ſimilitudine cœleſti, quæ mihi vita eſt, ad inferni ſimilitudinem, ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, quæ mihi mors eſt, manibus impiis pertrahor. Siccine mi Rex, te ſequor? Vix jam ordo meus!, quem inſtituiſti, legitur in libris, quanto minus in moribus? Cernere eſt Archiepiſcopos Pri-*

*Primates ſuos vel ignorare , vel contemnere: adverſus illos aut conſuetudinis diuturnæ præſcriptionem aut allegationem allegare. Et nonne hæc eadem ab inferioribus ſuis Archiepiſcopi patiuntur? Cernere eſt profeſſos paupertatem, ita ut nec in privato, nec in communi ſibi quicquam reſervaverint , quo liberius in terris charitatis ardore Seraphin , ſcientiæ plenitudine Cherubin imitarentur, aut ad Prælaturas niſibus ſummis aſpirare : aut ſi hoc non audeant, ad beneficiorum minorum, quod eſt inuſitatius, commendas currere. Mirum eſt non alios æque feſtinare ditari his quorum profeſſio vetat ditari. Cur enim aſſidue pulſant aures Apoſtolicas , quatenus nova privilegia valeant extorquere? Si hoc, ut publice proficiant magis quam marſupia repleant , ſplendide vivant, paupertatem, quam voverunt, exuant, ipſi viderint. Quamquam multa me experientia magiſtra docuerit , nolim tamen judicare.* Et aliquanto poſt: *Porro illud quam abſurdum in hierarchiis inſtitutis nullos actus hierarchicos exhibere , non purgare , non illuminare , non perficere; atque utinam exemplo ſuo malo non inficerent, in errorem traherent , pauperem plebeculam paratam in alterutrum ſequi aut bona exempla virtutum, aut prava vitiorum. Quid turpius quam videre doctos aut bene moratos aut extra ordines jacere , aut in imis collocatos: ignaros autem & improbos altiſſimum gradum tenere , videre alios eſurire, alios ebrios eſſe?*

*eſſe? Quod ſi ad inſtitutionem Sacerdotum atque proviſionem venire delectet, doleo ſeminaria ſerilitium, ubi lites ſequi prope nefas eſt. Vix aliquod beneficium infra Prælaturas confertur, quin ipſum uni ſummus Pontifex, alteri vero Legatus aliquis, item Ordinarius alteri conferat. Quid eſt hoc aliud quam litium materiam exhibere? Nec illud minus abſonum, quod magis favoribus humanis, aut gratia, aut metu, aut cupiditate, aut conſanguinitate, aut affinitate, aut aliquo impetu animi, quam judicio aut delectu proviſiones iſtæ fiunt. Nec ad ea dona ſpectatur, quæ Spiritus Sanctus membris variis varia diſtribuit ad regimen ordinatum atque per ſe ſufficiens mei corporis: Unde fit ut auris ad videndum, ad audiendum oculus nonnunquam applicetur, ſimilisque cæterorum membrorum, confuſio fiat, qua nulla major pernicies, &c.* Cæterum extat Caroli VI. edictum anno MCCCCX. die XVII. Aprilis latum contra nonnullos Judices Apoſtolicos, quos Alexander V. eo propoſito miſerat in Franciam, ut Eccleſiæ Gallicanæ decreta de eadem Gallicana Eccleſia ad ſuas antiquas libertates revocanda antiquarentur, quod etiam poſtmodum à Martino V. tentatum eſt, ut ſuo loco dicetur. Ex quo datur intelligi quam operoſe certatum ſit, ne jus commune, & Eccleſiæ primitivæ diciplina, quam ſchiſmata Antipaparum funditus peſſumdederant, in integrum revocarentur.

VI.

VI. Anno eodem MCCCCX. quinto nonas Maji Alexander V. viam univerſæ carnis ingreditur, in cujus locum Baltaſar Coſſa, qui Joannes XXIII. nuncupari voluit, electus eſt à Cardinalibus. Bellarminus libro priore de Conciliis & Eccleſia cap. VIII. ſtatuit, *ferme communem eſſe opinionem, Alexandrum V. & qui ei ſucceſſit, Joannem XXIII. fuiſſe veros Pontifices: Et ex tribus, qui tum ſe pro Pontificibus gerebant, iſtos maxime ut veros Pontifices cultos.* Profecto qui Eccleſiam univerſalem in ſex partes diſtribuerit, compertum habebit vix ſextam partem Benedicto, & Gregorio Antipapis adhæſiſſe, reliquas autem quinque partes integras Piſanum & Conſtantienſe Concilium conſtituiſſe & approbaſſe. Enimvero ſolus Rex Arragoniæ, Scotiæ, & Comes Armeniacus Benedictum XIII. Regulus autem Apuliæ Gregorium XII. Antipapas ſequebantur: reliquæ autem orbis Chriſtiani Latini Provinciæ Alexandro V. & Joanni XXIII. adhærebant. Quod maxime dignum eſt notatu contra illos qui nituntur perſuadere Eccleſiam in tres diviſam obedientias, & ſolam obedientiam Joannis XXIII. Synodum Conſtantienſem auctoraſſe. Nam à juſta partium enumeratione conſtat unam & ſolam Joannis obedientiam conſtituiſſe Eccleſiam Catholicam, atque unitatem, ſanctitatem, & auctoritatem Eccleſiæ hoc articulo Symboli ſubni-

nixam; *Credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, &c.* nullo modo penes Benedictum, & Gregorium Antipapas habitare potuiſſe: cum (ut præcedenti capite diximus) Antipapæ illi, ſicut hodie Lutherani, & Calviniſtæ Eccleſiæ paci, concordiæ, & unioni totis conatibus obſiſterent. Quibus attente ponderatis proclive eſt Cajetani argutias depellere ſecunda parte Apologiæ de auctoritate Papæ & Concilii capite XI. Ait enim, *Aſſerere Piſanum Concilium fuiſſe certum; & Alexandrum* V. *Pontificem indubitatum eſſe, renovare ſchiſma, & indubie damnare Gregorium* XII. *& Benedictum cum ſuis obedientiis: hoc autem redire eſt ad ſchiſma.* At ſi quæ dicit Cajetanus vera ſunt, certo certius eſt Martinum V. non fuiſſe verum atque indubitatum Pontificem, ſaltem quandiu Benedictus XIII. ſuperſtes fuit: quia Eccleſia Conſtantiæ congregata nihilo plus habuit juris ut Martinum eligeret, quam prima Synodus Piſana Alexandrum V. neque Gregorii XII. ejuratio facta Conſtantiæ ante Martini electionem juri Benedicti detrahere potuit, cum teſte Cajetano uterque damnari non poſſit ſine ſchiſmate. Cum ergo Benedictus nunquam jure ſuo cedere voluerit: ſi fides Cajetano, Martinus V. non fuit verus & legitimus Pontifex ſuperſtite Benedicto. Hic ego argumentor ad hominem, ut in ſcholis loquuntur. At forte dicet aliquis

ſolum Gregorium XII. non Benedictum XIII. fuiſſe Legitimum Pontificem, & ita Sanderus cum omnibus Italis ſcriptoribus, ſed fallunt elencho à ſuppoſitione principii: id enim probari non ſupponi debet. Accedit nos antea docuiſſe ex Bellarmino communem eſſe opinionem, Alexandrum V. & Joannem XXIII. veros Pontifices, & continuo Synodum Piſanam legitimum fuiſſe Concilium. Quamprimum Joannes XXIII. conſecratus eſt, Academiæ Pariſienſis ſtudia multis gratiis expectativis, quaſi ſpe & bolo injecto emereri conatus eſt. Tum Academici de Ordinariis valde conquerebantur, propterea quod ab anno MCCCXCVIII. quo decretum fuerat in Concilio Eccleſiæ Gallicanæ, ut eadem Eccleſia ad ſuas antiquas libertates reduceretur, & beneficia ab ordinariis tantum conferrentur: hi omnia ſacerdotia & præbendas parentibus, amicis, domeſticis, ac famulis conferebant, nulla habita ratione eorum, qui bonis artibus invigilabant in Academiis. Quocirca Rector Pariſienſis Academiæ cum omnibus Academicis provocarunt ad Sedem Apoſtolicam, & Concilium generale proxime celebrandum de ſubſtractione facta à Pontifice Romano propter collationes beneficiorum tempore Benedicti XIII. Quam appellationem M. Joannes de Urſinis Advocatus Regius recepit die XV. Februarii MCCCCXI. Hoc eodem anno Cardinalis Piſa-

nus

Digitized by Google

nus miſſus eſt in Gallias à Joanne XXIII. qui, ut Parlamentum Curiæ Romanæ propitium redderet, Bullas Patribus conſcriptis obtulit, quibus Pontifex facultatem Indulti & nominationum ſuper beneficia ſingulis Conſiliariis largiebatur, ſicque de Eccleſiæ ſponſæ Chriſti corio ludebat.

## Caput III.

I. *Hiſtoria Concilii Conſtantienſis: Quicumque autem Synodo Piſanæ adhæſerunt & interfuerunt, adhæſerunt pariter ac interfuerunt Synodo Conſtantienſi; & inter alios Cardinalis Columna.*

II. *Patres Conſtantienſes ſemper de more habuerunt res controverſas primum Nationaliter inter Nationes examinare: deinde ad Synodum referre ut Conciliariter concluderentur.*

III. *Joannes* XXIII. *ex decreto Patrum pollicetur pro pace Eccleſiæ ſe abdicaturum Papatu, eamque ob cauſam clam effugit ex Concilio.*

IV. *Decreta quartæ & quintæ Seſſionis de Concilii auctoritate ſupra Papam, primum Nationaliter, deinde Conciliariter examinantur à Patribus.*

V. *Analyſis eorundem Decretorum, quod Concilium generale Eccleſiam Catholicam repræſentet: immediate auctoritatem habeat à Chriſto: & conſequenter Papam directivo & coactivo judicio Concilii ſubjici tribus in caſibus.*

VI. *Hæc Decreta materialiter & formaliter ſpectare ad fidem.*

VII. *Examinantur argumenta Cajetani, & Bellarmini contra Decreta Synodi Conſtantienſis.*

VIII. *Joannes* XXIII. *omnia Acta Concilii Conſtantienſis approbat, & paulo poſt exauctoratur.*

IX. *Cardinalis Alliacenus, & Gerſonius ſcripſerunt Tractatus de poteſtate Concilii ſupra Papam, qui lecti & pronunciati ſunt Conſtantiæ coram Patribus.*

X. *Gregorius Antipapa ejurat Pontificatum, atque Synodo Conſtantienſi ea lege adhæret, ut Acta Concilii ſub nomine*

*Imperatoris ederentur, quoad Synodo adhæſiſſet: & de argumento quod Cajetanus inde promit contra Synodum Conſtantienſem.*

XI. *Decretum Concilii Conſtantienſis de Tyrannis non tollendis vindicatur adverſus Joannem Marianam.*

XII. *Praxis decretorum quartæ & quintæ Seſſionis de Concilii auctoritate ſupra Papam in gratiam Angeli de Corrario, qui Gregorius* XII. *vocabatur dum eſſet Papa.*

XIII. *Concilium Conſtantienſe cavet ne Pontifices Romani indubitati decimas ſuper Clerum imponant abſque conſenſu Concilii.*

XIV. *De Eccleſiaſticorum immunitatibus, & argumentis Bellarmini à Conſtantienſis Concilii decreto ſumptis.*

XV. *Patres Conſtantienſes normam habendarum Synodorum generalium indubitatis Pontificibus edicunt. Et quam ſit Eccleſiæ Catholicæ neceſſarium ſingulis Decenniis Concilia generalia celebrari.*

XVI. *Omnibus futuris & indubitatis Pontificibus Concilium regulam edendæ fidei præſcribit: Item ne Pontifices Prælatos invitos de beneficio in aliud beneficium transferant, aut ſibi Beneficia & Spolia Clericorum reſervent.*

XVII. *Synodus Conſtantienſis octodecim articulos conſcribit pro reformanda Eccleſia in capite & in membris, antequam Concilium Conſtantienſe diſſolvatur.*

XVIII. *Quid impedierit quo minus Eccleſia non reformaretur in Synodo Conſtantienſi: & de concluſione facta inter omnes Nationes de Annatis non ſolvendis: & reſponſione Apologetica Gallicanæ nationis ſuper ea re.*

XIX. *Martinus* V. *ſtatim poſt ſuam electionem cum vellet dolorem Nationum ob reformationem Eccleſiæ impeditam lenire aliquot Decreta ſuper reformatione edidit: & ampliorem reformationem in proximum rejicit Concilium.*

XX. *Martinus* V. *futuram indicit Synodum ad normam præſcriptam à Conſtantienſi Concilio Seſſione* XXXIX. *& Papiam habendo Concilio idoneam de Synodi conſenſu nominat.*

XXI. *De Synodi Conſtantienſis concluſione, in qua Martinus Papa voces* Nationaliter, *&* Conciliariter *quaſi inter ſeſe opponit, eaque ſolummodo à Synodi concluſione excludit, quæ non facta fuerant* Conciliariter, *quamquam concluſa eſſent* Nationaliter.



Digitized by Google

XXII. *Cajetani , & Bellarmini argumenta ab hac Martini concluſione ducta ſolvuntur.*

XXIII. *De libro fratris Johannis Falkemberg damnato* Nationaliter , *& non* Conciliariter , *& quæ in eo doctrina contineretur.*

XXIV. *Provocatio Polonorum ad proximum Concilium de Martini Papæ gravamine.*

XXV. *Bulla Martini* V. *Pii* II. *& Julii* II. *contra appellantes à Papa ad Concilium analytice examinatur à Gerſonio in diverſis Opuſculis.*

XXVI. *Martinus* V. *conſentiente & approbante Concilio Bullam evulgat pro exequutione Decretorum Synodi Conſtantienſis adverſus errores Bohemorum, & ſolutio argumentorum quæ adverſarii promunt ex ejuſmodi Bulla.*

XXVII. *Martinus* V. *ſtatim poſt ſolutum Conſtantienſe Concilum Nuncios Apoſtolicos miſit in Gallias , qui Eccleſiæ Gallicanæ libertates convellerent , & ſibi repugnantes cenſuris innodarent : & de Gerſonii tractatu contra ejuſmodi cenſuras pro Eccleſiæ & patriæ ſuæ vindiciis.*

I. SYnodus Conſtantienſis Piſano Concilio tanquam effectus cauſæ ſucceſſit : nihilque eſt aliud quam Piſanæ Synodi continuatio,ut Acta docent: quandoquidem Alexander V. Seſſione XXIII. Synodi Piſanæ futurum proxime Concilium in hunc modum indixit anno MCCCCIX. *Item, ſacro approbante Concilio decernimus nos vel ſucceſſorem noſtrum ex certis magnis & arduis cauſis nos & hoc ſacrum Concilium moventibus iterum generale Concilium fore convocandum hinc ad triennium, videlicet anno quo dicetur anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo in menſe Aprilis in civitate ſeu loco habili & decenti , qui locus declarabitur per annum ante tempus Concilii*



Digitized by Google

*per nos vel per ſucceſſorem noſtrum.* Cum ergo Principes Gallicanæ & Germanicæ nationis poſt Alexandri V. exceſſum crebro à Joanne XXIII. Alexandri ſucceſſore peterent, ut Synodum indiceret, juxta indictionem factam ab Alexandro, & ex omnium nationum deſiderio: tandem ille anno M CCCC XIIII. duos miſit Cardinales in Germaniam, ut cum Principibus Gallicæ & Germanicæ nationis locum habendo Concilio idoneum deligerent, Conſtantia vero civitas omnium commodiſſima viſa, quo etiam ipſemet Joannes Papa proficiſcitur, quamquam amicis reclamantibus, atque idipſum, quod Joanni accidit, præſagientibus. At in Synodi exordio habes reſcripta & bullas Joannis XXIII. quibus palam fit Conſtantienſe Concilium eſſe continuationem Synodi Piſanæ, ut Eccleſia in capite & in membris reformaretur.

Prima Seſſione, quæ XVI. Novembris M CCCC XII. celebratur, Officiarii Concilii ex ſingulis Nationibus, ſcilicet Notarii, Procuratores Fiſcales, Advocati, &c. delectu habentur, quorum magna pars jam Piſano Concilio interfuerant, ſicut & Cardinales, quos inter floruit Cardinalis Columna, qui poſtea electus eſt in Papam, vocaturque Martinus V. Magiſter Joannes de Scribanis, qui unus fuerat ex promotoribus Synodi Piſanæ, eandem geſſit provinciam in Con-

Conſtantienſi Concilio cum Magiſtro Henrico de Pyro: Petrus autem Ancharanus ſive de Ancharano cum Raphaele Fulgoſio inſignes Juriſconſulti fuerunt Advocati Concilii.

II. In hac ſacra Synodo, ut Patres accuratius & liberius de Eccleſiæ reformatione ſtatuerent, voluerunt omnes perſonas qui Concilio intererant diſtribui per Nationes Italicam ſcilicet, Gallicam, Germanicam, Anglicanam, & Hiſpanicam (hæc enim poſtrema adhæſit Concilio Conſtantienſi, propterea quod Benedicto XIII. favebat, qui adhuc ſuperſtes erat) & quæ tractanda proponerentur in Synodo, prius tributim & nationaliter examinari: deinde ad Synodum congregatam, quæ à ſingulis nationibus tractata & concluſa fuerant, referri, ut tum demum Synodice concluderentur. Domini Cardinales ſeparatim etiam conveniebant, ut in ſuo Collegio negotia diſcuterent: Deinde una cum nationibus ad Synodum referebant, quæ in ſuo Collegio definiviſſent. Et hinc accidebat, ut nihil Synodice aut Conciliariter factum cenſeretur, quod non prius nationaliter & collegialiter à Dominis Cardinalibus diſcuſſum & concluſum; Deinde vero Synodice & Conciliariter à Patribus in Synodo congregatis definitum fuiſſet. Qua ratione procedendi Concilium impedire voluit, ne Italica natio (quæ ſola plures ferme

habet Epiſcopos quam omnes aliæ nationes ſimul congregatæ) cæteras Nationes ſuffragiis vinceret: & hac via Eccleſiæ reformationi obſtaculo eſſet, ut contigit, patebitque hujus hiſtoriæ progreſſu. Cæterum à menſe Novembri, quo prima Seſſio habita eſt, nihil Synodice actum eſt ante menſem Martium, propterea quod Patres, & Oratores Principum expectabantur.

III. Anno Domini M CCCC XV. die ſecunda Martii altera habetur Seſſio, in qua Dominus Vitalis Patriarcha Antiochenus de mandato Concilii hanc ſchedulam legendam obtulit Domino Joanni Papæ: *Ego Joannes Papa* XXIII. *propter quietem totius populi Chriſtiani, profiteor, ſpondeo, promitto, voveo, & juro Deo & Eccleſiæ, & huic ſacro Concilio, ſponte & libere dare pacem ipſi Eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus, & eam facere & adimplere cum effectu, juxta deliberationem præſentis Concilii: Et ſi quando Petrus de Luna Benedictus* XIII. *& Angelus de Corario Gregorius* XII. *in ſuis obedientiis nuncupati, Papatui, quem prætendunt, per ſe, vel per Procuratores ſuos legimos ſimpliciter cedant, & etiam in quocumque caſu ceſſionis, vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari unio Eccleſiæ Dei, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis.* Qua perlecta ſchedula à Joanne Papa, Imperator Sigiſmundus ſurgens de ſua Cathedra gratias egit

Do-

Domino Joanni Papæ nomine ſuo & Concilii. Hanc viam Patres propoſuerunt Joanni XXIII. ut duos Antipapas facilius allicerent ad unionem, & pacem dandam Eccleſiæ, non autem quod non ducerent Joannem eſſe legitimum Pontificem: qui cum videret ſe non poſſe Papatum retinere, niſi quoad videretur bonum Patribus Concilii Conſtantienſis, paulo poſt clam ſe ſubduxit ex Concilio cum aliquot Cardinalibus, quos creaverat, & Scafuſam urbem Ducis Auſtriæ, deinde Friburgum confugit: ac paulo poſt captus, & in carcerem conjectus eſt: quæ fuga Joannis cauſam præbuit Concilio criminaliter procedendi in illum, ut ſtatim dicetur.

Tertia Seſſio frequentatur xxv. Martii ejuſdem anni, in qua Dominus Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracenſis præſedit propter deceſſum Joannis XXIII. qua in actione Cardinalis Florentinus hos perlegit articulos de mandato Concilii. Primus fuit; *Quod Synodus Conſtantienſis juſte & rite convocata eſſet Conſtantiam, ac ibidem rite etiam inchoata, & continuaret.* Secundus; *Quod propter deceſſum Joannis XXIII. vel etiam aliorum Prælatorum, ſeu aliorum quorumcumque, non diſſolveretur ſacrum Concilium, etiamſi aliquid ſtatutum eſſet, aut de hinc ſtatueretur in contrarium.* Tertius; *Quod idem Concilium non diſſolvetur, quouſque præſens ſchiſma exſtirpatum*

Digitized by Google

*tum & Eccleſia reformata fuerit in fide, moribus, capite & in membris:* qui articulus uberius tractatur Seſſione XL. Quartus; *quod Concilium non transferretur alio, niſi ex cauſa rationabili, probata quidem & probanda ab ipſomet Concilio.* Quintus; *Quod Prælati atque alii, qui intererunt Synodo, non recedent Conſtantia ante finitum Concilium, niſi ex cauſa rationabili per deputatos examinanda & approbanda:* qua de re amplius agitur ſequenti actione.

IIII. Quarta Seſſio celebratur XXX. Martii MCCCCXV. in qua hæc ſtatuuntur; *Quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata, legitime generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & exſtirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite & in membris, &c.*

Quinta Seſſio agitur VI. Aprilis ſequentis, in qua, celebrato Miſſæ officio, Litaniis cantatis, de mandato Concilii ſurrexit Reverendus Pater Dominus Andreas electus Poznanienſis, & certa Capitula per modum conſtitutionum Synodalium prius per ſingulas Nationes concluſa & deliberata legit & publicavit, quorum tenores ſequuntur, & ſunt tales.

„In

Digitized by Google

„In nomine ſanctæ & individuæ Trinita-
„tis Patris & Filii & Spiritus ſancti Amen.
„Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis gene-
„rale Concilium faciens pro exſtirpatione
„ipſius ſchiſmatis, & unione, & reformatione
„Eccleſiæ Dei in capite & in membris, ad lau-
„dem omnipotentis Dei in Spiritu ſancto le-
„gitime congregata, ad conſequendum,
„facilius, ſecurius, liberius unionem & re-
„formationem Eccleſiæ Dei ordinat, diffi-
„nit, decernit, & declarat, ut ſequitur.

„Et primo declarat, quod ipſa in Spiritu
„ſancto legitime congregata Concilium ge-
„nerale faciens, & Eccleſiam Catholicam
„repræſentans, poteſtatem à Chriſto im-
„mediate habet, cui quilibet, cujuſcumque
„ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat,
„obedire tenetur in his, quæ pertinent ad
„fidem & exſtirpationem dicti Schiſmatis, &
„reformationem dictæ Eccleſiæ in capite &
„in membris.

„Item, declarat, quod quicumque, cu-
„juſcumque conditionis, ſtatus, dignita-
„tis, etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatu-
„tis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hu-
„jus ſacræ Synodi, & cujuſcumque alterius
„Concilii generalis legitime congregati, ſu-
„per præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, fa-
„ctis, vel faciendis, obedire contumaciter
„contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ
„pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite punia-

„tur,

Digitized by Google

„ tur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fue-
„ rit recurrendo.

V. Ex his duobus decretis quartæ & quintæ Actionis Synodi Conſtantienſis ſeptem colligimus. Primo, quæ illis ſtatuta ſunt, ante Nationaliter fuiſſe diſcuſſa & examinata, quam Synodice proponerentur aut referrentur ad Patres ſedentes in Synodo: & continuo ſequi conciliariter facta fuiſſe, quod apprime notandum venit contra effugia ſcriptorum Curiæ Romanæ. Secundo, patet Eccleſiam, & Concilium eam repræſentans ſeipſo & immediate auctoritatem habere à Chriſto, non à Papa: Ratio eſt, quia Chriſtus immediate ſuum Sacerdotium cum poteſtate juriſdictionis ordini hierarchico contulit in commune, non uni & ſoli Petro: Unde accidit, ut poteſtas Petri magis intima, propria & eſſentialis ſit Eccleſiæ, quam perſonæ Petri, ut alias demonſtravimus: qua de cauſa in Eccleſiæ gubernatione cuncta ſanctorum communione robur habent, non abſoluto unius Imperio, ſicut indubitata Eccleſiæ praxi oſtendimus in hiſtoria octo primorum Conciliorum generalium. Porro cum hæc definitio Synodi Conſtantienſis de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate pridem ante exauctorationem Joannis XXIII. facta ſit, neſcio quid cauſæ habuerit Platina, ut aſſereret Patres Conſtantienſes primum Joannem exauctoraſſe, deinde ad confirmandam

ab-

abdicationem Joannis decreviſſe Eccleſiam immediate habere auctoritatem à Chriſto: *Quo Joannis abrogationem à ſe factam veram & integram judicarent: hoc enim fundamento conceſſo ipſum etiam Pontificem Concilio ſubjiciebant*, inquit Platina, hiſtoriæ veritati plane adverſus, niſi forte fugam Joannis Papæ pro ejus abrogatione ſumat, quarum illa anno M CCCC XV. menſe Martio ſecunda Seſſione: abdicatio vero die XXIX. Maji ejuſdem anni Seſſione duodecima extitit. Itaque Decretum de immediata auctoritate præceſſit abdicationem Joannis. Tertium notabile eſt Papam directivo & coactivo judicio Eccleſiæ & Concilii legitime congregati ſubeſſe tribus in caſibus; Primus eſt cum de fide: Secundus, cum de exſtinguendo ſchiſmate & conſtituendo unico vero atque indubitato Pontifice: Tertius, cum de Eccleſia reformanda in capite & in membris agitur. Qui tres articuli complectuntur quicquid poteſt unquam venire in controverſiam: *Dum habentur Synodi* (ut notat Cuſanus lib. II. de Concordantia cap. XVII. verſus finem) *aut enim de rebus ad fidem ſpectantibus, aut de tollendo ſchiſmate, & conſtituendo legitimo Papa, aut de Eccleſiæ reformatione, in capite & membris diſputatur*: Quæ tria capita Sanctorum communione & conſenſu libero, non unius Papæ auctoritate ſtatui debent. Quartum notabile eſt, Patres Conſtantienſes hos tres articulos,

non

non in ſola Synodo Conſtantienſi, ſed in quocumque alio Generali Concilio locum habere voluiſſe; ſicut hoc verba declarant; *Qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus, aut præceptis hujus Sacræ Synodi*, ET CUJUSCUMQUE ALTERIUS CONCILII GENERALIS LEGITIME CONGREGATI *ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, &c.* Quinto, in memoratis Canonibus certum occurrit genus Decreti, quod à Canoniſtis vocatur irritans, eo quod pœnam certam irrogat eo in caſu quo Papa Sacris Canonibus parere detrectaret: Id enim hæc ſonant; *Condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia Juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo.* Et hinc obſtruuntur Cajetani, Bellarmini, & aliorum evaſiones. qui perſuadere moliuntur Decreta Synodi Conſtantienſis non eſſe abſoluta, ſed tantum in caſu ſchiſmatis locum habere, quod ſola lectione Decretorum confutatur.

VI. Sextum notabile eſt, tria præfatis Decretis ineſſe ad materiam fidei ſpectantia: Primum eſt, Eccleſiam Sacerdotalem, cui Dominus immediate claves cum Sacerdotio ſuo contulit, immediate & ſeipſa auctoritatem habere à Chriſto: hoc enim tanquam de fide proponitur, & ex eo probatur quod Sacerdotium Chriſti Eccleſiæ in commune creditum ſit velut cauſa efficiens poteſtatis clavium & jurisdictionis Eccleſiaſticæ, ut alias do-

docui. Alterum ad materiam fidei ſpectans, eſt Concilium Generale legitime congregatum Eccleſiam Catholicam repræſentare: nuſpiam enim Eccleſia aut Chriſti Sacerdotium accuratius repræſentatur, aut magis eminet, quam in generalibus Synodis legitime congregatis: qua de re legendum XXII. Axioma noſtræ Apologiæ. Porro, ut recte Patres Baſileenſes adverſus diſſolutionem Concilii ab Eugenio IV. factam inferunt, eadem eſt prorſus in repræſentante & repræſentato auctoritas; alioqui non plena & perfecta eſſet repræſentatio Eccleſiæ in Concilio generali. Tertium eſt, Papam obligari Canonibus, qui pro fide Catholica, exſtirpatione ſchiſmatis, & Eccleſiæ reformatione in capite & in membris ſanciuntur: hoc enim ex duobus articulis præcedentibus neceſſario colligitur: puta, quod Eccleſia immediate auctoritatem habeat à Deo, & quod Concilium generale Eccleſiam Catholicam repræſentet: confirmaturque hoc oraculo Domini Matth. XVIII. *Dic Eccleſiæ: Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c.* Quo de loco conſule XVII. Axima Apologiæ, & caput IV. libri tertii Defenſionis Libelli de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate. Proculdubio materia eſt fidei, Concilium, legitime congregatum Eccleſiam Catholicam repræſentare. Quam-

ob-

Digitized by Google

obrem accedente ad hoc univerſali Eccleſiæ conſenſu decretum fidei quoad materiam & formam efficit. Itaque decreta Synodi Conſtantienſis quoad rem & modum, id eſt, ob univerſalem conſenſum & auctoritatem Eccleſiæ, quæ à Chriſto immediate poteſtatem habet, fide Catholica obligant, aut Canones fidei Catholicæ materialiter & formaliter efficiunt: Quare Hæreticis, Ethnicis, atque infidelibus deputandos voluit Dominus, qui Eccleſiam Catholicam non audiunt, Matth. XVIII. Quapropter S. Gregorius profitetur ſe quatuor Concilia generalia, ſicut quatuor libros Euangelii ideo venerari: *Quia*, inquit; *dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſquis præſumit aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt*, *diſt.* XV. *Can. Sancti Euangelii*. Ubi animadverſione dignum eſt, virum ſanctiſſimum velut cauſam efficientem obligationis laudare conſenſum univerſalem, aut generalem ſanctorum communionem. Septimo obſervandum videtur; Decretum aliquod poſſe duobus modis conſiderari; nimirum materialiter, & formaliter; ſive quoad rem, & quoad modum illam tractandi: atque fieri poſſe ut utroque modo, id eſt, quoad materiam, & formam fide Catholica tenendum ſit: ut in præſenti diſputatione trium articulorum contentorum in quarta & quinta Seſſione, quibus declaratur: *Omnes Chriſtia-*

*nos*

*nos* (ne quidem Papa excepto) *obligari Canonibus Conciliorum, cum de fide, de ſchiſmate tollendo, aut de Eccleſia reformanda in capite & in membris agitur.* Aliis in rebus Canones Conciliorum propter univerſalem conſenſum, quo conſtituuntur, formaliter & non materialiter ad fidem ſpectare poſſunt: unde hac quoque ratione non licet Pontifici de illis pro animi ſui arbitrio diſpenſare, ſed tantum eo in caſu, quo Eccleſia in Synodum generalem congregata diſpenſaret: hoc eſt, cum de communi Eccleſiæ bono agitur. Quæ enim communione ſanctorum conduntur, debent quoque communi conſenſu abrogari aut temperari, alioqui fruſtra & ſupervacue haberentur Concilia: quoniam Papa totum Jus Canonicum abrogare poſſet. Quæ autem ab hominibus obnoxiis in contrarium proponuntur, illudunt à petitione principii, ac ſi Papa conſtitutus eſſet abſolutus Eccleſiæ Monarcha, & eandem haberet poteſtatem cum Chriſto, quod ſatis alias confutavimus.

VII. Cardinalis Cajetanus de auctoritate Papæ & Concilii, Bellarminus lib. II. de Conſiliis & Eccleſia cap. XIX. Item, Magiſter Andreas Vallius quarta Parte, Quæſtione ſeptima libri ſui de ſuprema poteſtate Papæ quatuor potiſſimum objiciunt contra decreta quartæ & quintæ Seſſionis Synodi Conſtantienſis. Primum, hos Canones fa-

ctos ſolummodo ratione Schiſmatis, & obligare dumtaxat cum de Papa incerto & dubio agitur; minime vero cum eſt certus atque legitimus Papa: Hunc enim tanquam abſolutum & infallibilem Monarcham poteſtatem habere ſuper Canones omnium Conciliorum dictitant. Secundo, negant hujuſmodi Decreta facta fuiſſe conciliariter, expenſis utrinque rationum momentis. Tertio, obtendunt ſolam obedientiam Ioannis XXIII. conſenſum præbuiſſe hujuſmodi Canonibus, etiam Ioanne abſente, & continuo tum temporis Synodum fuiſſe velut Acephalam. Quarto, negant Martinum V. probaſſe hujuſmodi Decreta, idque liquere ajunt ex Bulla peculiari, qua Martinus poſt Conſtantienſe Concilium diſſolutum privatim errores Ioannis Wicleff, & Ioannis Hus damnavit, nulla facta mentione Decretorum quartæ & quintæ Seſſionis.

His vero objectionibus, ut ordine ſatisfaciam, dico ad primam, ſola lectione decretorum quartæ & quintæ Seſſionis propelli; quibus decretis Papam in tribus caſibus Canonibus Conciliorum generalium ſubjici liquet; nimirum, *cum de fide, de ſchiſmate opprimendo, & Eccleſia in capite & in membris ordinanda agitur*: quæ tria ſimul non diviſim aut ſeparatim tractantur à Patribus. Accedit inſuper in hac Synodo hujuſmodi Decreta decies ad minus deducta fuiſſe in praxim erga

ve-

Digitized by Google

veros atque indubitatos Pontifices, ut infra demonſtrabitur, & Seſſione XL. artic. XIII. quæri, *Propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi*: de vero autem atque indubitato Papa diſputatur, ut cæcis notum eſt.

Ad ſecundam oppono, Decreta, quibus de agitur, primum nationaliter examinata fuiſſe: deinde in publica Seſſione Concilii concluſiones nationum relatas & Synodice approbatas, ut ex quinta Seſſione liquet. Amplius addo Gerſonium libro de poteſtate Eccleſiaſtica conſideratione XII. teſtari ejuſmodi quæſtiones diligenter fuiſſe diſcuſſas: Ubi enim eos reprehendit, qui abſolutam & infallibilem poteſtatem Romano Pontifici tribuunt, hæc ſubnectit; *Fallor*, ait, *ſi non ante celebrationem hujus Sacroſanctæ Conſtantienſis Synodi ſic occupaverat mentes plurimorum literalium magis quam Literatorum iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus: Hujus rei ſignum accipe, quia poſt declarationem ex Theologiæ Principiis luce clariorem, & quod urgentius poſt determinationem, & practicationem ejuſdem Synodi inveniantur qui talia palam aſſerere non paveant.* Hæc Doctor Chriſtaniſſimus qui Synodo Conſtantienſi intererat, in cujus oratione hæc tria notanda ſunt; *Poſt declarationem ex Theologiæ principiis luce clariorem*, *poſt determinatio-*

*nem, & poſt practicationem.* Primum ſpectat ad diſputationem & examen quæſtionis. Secundum ad conſtitutionem Synodalem Decretorum quartæ & quintæ Seſſionis. Tertium ad praxim eorundem Decretorum erga Jannem XXIII. & alios indubitatos Pontifices, ut propriis locis oſtendetur. Cæterum ſummam memoratæ declarationis inſertam fuiſſe Decretis quartæ & quintæ Seſſionis quis non videt? dum Patres ſciſcunt *Eccleſiam immediate ſuam colligere poteſtatem à Chriſto, & Concilium Generale legitime congregatum Eccleſiam Catholicam repræſentare.* Ex his enim principiis evidenter & neceſſario relinquitur, Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum, non plane & ſimpliciter Monarchicum, ut Adulatores probare volunt à poſteriori ex iis, quæ hodie & ab aliquot ſeculis (quibus diſciplina primitiva exolevit) in Romana Curia fiunt. Dicere etiam prætermitto, tempore Piſani Concilii controverſiæ & Concilii auctoritate ſupra Pontificem agitatam fuiſſe in omnibus Academiis Europæ, & Seſſione XIII. demonſtravi per omnia cauſarum genera Papam ſubeſſe Concilio Eccleſiam repræſentanti.

Tertia objectio duobus conſtat membris. Prius eſt, Decreta quartæ & quintæ Seſſionis facta Joanne XXIII. abſente à Concilio, tumque Synodum fuiſſe quaſi Acephalum. Reſpondeo, hoc argumentum elencho à peti-

ti-

Digitized by Google

titione principii illudere, quaſi ſolus Papa eſſet Monarcha infallibilis, & abſque illo nihil ſtatui poſſet, contra quam opinionem falſam atque adulatoriam, quæ tum temporis hominum animos invaſerat, Patres Conſtantienſes ex principiis Theologiæ luce meridiana clarioribus, ut aſſerit Gerſonius, definierunt, *Eccleſiam Catholicam immediate auctoritatem habere à Chriſto. Et Concilium Generale legitime congregatum Eccleſiam Catholicam repræſentare, &c. continuoque auctoritatem Papæ virtualiter, ſuppletive, eminenter, & architectonice complecti; ita ut ſi Papa nolit aut nequeat præeſſe Synodo; aut etiam ſi juxta Patrum ſuffragia nolit concludere Synodum, Patres in Synodo ſedentes ex communione Sanctorum legitime inita definire & ſtatuere valeant.* Cum ergo ſit in conceſſo apud omnes Synodum Conſtantienſem legitime congregatam fuiſſe, & Joannem XXIII. aufugiſſe ex Concilio ne abdicaretur, planum quoque evadit, Patres etiam abſente Pontifice Decreta illa potuiſſe conſtituere, & apud recte ſentientes tantumdem habere auctoritatis quam ſi Papa præſente & concludente facta fuiſſent, cum illorum vis & robur à jure divino, non à præſentia Pontificis, pendeat: quoniam (ut dixi) Eccleſia eminenter, ſuppletive, & architectonice poteſtatem Papæ continet. At vero, quamquam non ſit neceſſarium, hic addi poteſt, Joannem XXIII.

Seſſione XII. aperte declaraſſe & profeſſum fuiſſe, *Synodum Conſtantienſem eſſe legitimam Concilii Piſani continuationem, atque errare non poſſe: propterea que ejus ordinationi, declarationi, & determinationi omnibus in rebus ſtare, ac ſe confirmare: ac contra ea ſe aliquo proceſſu temporis nunquam iturum promittere.* Hæc ille, qui, teſte Bellarmino capite præcedenti laudato, legitimus Pontifex ex communi opinione ab omnibus habebatur. Poſterius membrum tertiæ objectionis eſt, ſolam obedientiam Joannis hujuſcemodi Decretis aſſenſum præbuiſſe. Contra oppono quæ capite præcedenti numero VI. notavimus ex Bellarmino, Alexandrum V. & Joannem XXIII. veros atque legitimos fuiſſe Pontifices: atque urgeo hanc unam & ſolam obedientiam Eccleſiam conſtituiſſe Catholicam, ut ibidem probatum eſt. Certe Eugenius IV. quando Synodum Baſileenſem voluit diſſolvere, cauſabatur ſolam obedientiam Joannis memorata Decreta edixiſſe: Patres autem Baſileenſes ejus petitionem ad hunc modum depulerunt: *Sed* (inquiunt) *nunquid negare vult pro eo Conſtantienſe Concilium verum fuiſſe Concilium, & declarationes ab eo factas validas eſſe? Quid autem contradicere vult de obedientiis aliis? reclamavitne aliqua contra hujus veritatis declarationem? Nunquid non omnes unanimiter & depoſitionem Joannis laudarunt, & in privationem Benedicti ab omni jure, ſi quod*

*quod habebat in Papatu, conſenſerunt, quæ vigore auctoritatis Synodalis per præfatam veritatem facta ſunt? Nunquid non omnes ad electionem felicis recordationis Martini Papæ V. proceſſerunt eadem Synodali auctoritate?* Qui quidem *Martinus deinceps approbante Concilio definivit errorem eſſe; ſi quis diceret non eſſe de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter Eccleſias, ſi per Romanam Eccleſiam intelligatur univerſalis Eccleſia aut Concilium generale. Item: ordinavit eodem approbante Concilio, ut quilibet de hæreſi Wicleffiſtarum ſuſpectus interrogaretur, an credat, teneat, & aſſerat quod quodlibet Concilium generale, & etiam Conſtantienſe Catholicam Eccleſiam repræſentet. Item, utrum credat quod quicquid ipſum Concilium Conſtantienſe definivit & approbavit in favorem fidei, & ſalutem animarum, quod hoc ſit ab omnibus fidelibus tenendum & approbandum; cum tamen non ignoraret prædictam declarationem in eodem Concilio factam eſſe. Deinde vero in hoc Baſileenſi Concilio eadem declaratio innovata fuit in publica Seſſione, ubi de nulla obedientiarum differentia ſermo erat: ubi etiam quamplures Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, cæterique Prælati, & Doctores inſignes in multitudine copioſa præſentes erant, & Legatus Apoſtolicus præſidentiam exercebat. Ut quid ergo nunc allegatur, quod hæc declaratio ab una tantum obedientia in Concilio Conſtantienſi facta*

 *fuit?*

*fuit*? Hactenus Patres Synodi Baſileenſis in reſponſione Synodali, quæ incipit; *Beatus Hieronymus*, *&c.* Ex quorum indubitatis rationibus liquet, mera eſſe effugia, & vitilitigationes quæ dicuntur à Curiæ Romanæ Scriptoribus contra decreta quartæ & quintæ Seſſionis Conſtantienſis. Certe ille, qui Præfationes lucubravit ad Concilia generalia nuper Romæ edita, veritate devictus nihil habuit quos his Decretis opponeret: quamquam in omnibus aliis, quibus de poteſtatis Papæ præjudicio agitur, ſemper ſoleat exceptiones inſtruere, ac opportune & importune oggerere.

Quarta objectio duas item habet partes, quæ ſpectant ad Synodi Conſtantienſis confirmationem, de qua magis opportune diſputabitur, partim Seſſione ultima, partim in Analyſi Bullæ, qua Martinus de conſenſu Concilii ejuſdem Decreta in rem judicatam mitti mandat.

1. Porro iiſdem Seſſionibus IV. & V. Patres cavent, ne Joannes XXIII. quem pro vero atque indubitato Pontifice agnoſcebant, totum Concilium, vel partem Concilii, hoc eſt Perſonas eidem Concilio adhærentes interturbet, vel alio traducat ipſo invito Concilio. Hocque eſt primum exemplum praxeos Decretorum de Concilii auctoritate ſupra Papam. Procul dubio ſi Eccleſia in Synodum congregata hac poteſtate

ſtate minime polleret, nequaquam ſibi ipſi eſſet architectonice & ſufficiens: & quotieſcumque de illa reformanda in capite & membris ageretur, Papa poſſet impedire ne Concilium indiceretur, illudque, ubi congregatum eſſet, diſſolveret, aut alio traduceret: Sicque Eccleſia Sponſa Chriſti amantiſſima deſpotico Papæ imperio ſubderetur, quod Juri divino & naturali plane repugnat.

Anno Domini MCCCCXV. die XVII. Aprilis Actio VI. celebratur, in qua ſeliguntur & mittuntur Legati ad Joannem XXIII. ut eum invitent & orent quo revertatur Conſtantiam ad ſchiſma exſtirpandum, & Eccleſiam in capite & in membris melius ordinandam, ſicut juramento ſe facturum obſtrinxerat, quem in finem Joanni offeruntur nomine Concilii quaſcumque voluerit excogitare ſecuritates. Præterea ex ſingulis deliguntur nationibus Doctores, qui doctrinam Joannis Hus examinent; ac demum Literæ Academiæ Pariſienſis ad Sacrum Concilium ſuper deceſſu Joannis XXIII. perleguntur.

2. Die II. Maji in VII. Actione formulæ citationis contra Joannem Papam Concilio parere detrectantem, & contra Hieronymum Pragenſem inſtruuntur. Hocque eſt ſecundum exemplum praxis Decretorum quartæ & quintæ Seſſionis contra Pontificem.

VIII. Seſſione IV. Maji damnantur XLV. articuli errorum Joannis Wieleff, quorum

 ar-

articulorum decimus ſeptimus Anarchiam introducit, ſicque eſt conceptus: *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.*

Item quadrageſimus primus ita habet; *Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*; Cui articulo hæc ſubjicitur condemnatio Synodi; *Error eſt ſi per Romanam Eccleſiam intelligat univerſalem Eccleſiam, aut Concilium Generale, aut pro quanto negaret Primatum Summi Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares.* Quorum articulorum ideo mentionem faciendam duxi, quoniam dehinc nobis futura eſt diſputatio de illorum ſenſu.

IX. Seſſione XIII. Maji delectu viri habentur qui in cauſam Joannis Papæ inquirant, eamque inſtruant.

3. X. Actione XIV. Maji pronunciatur Sententia ſuſpenſionis ab officio Papali contra Joannem XXIII. Hocque eſt tertium exemplum praxeos auctoritatis Concilii ſupra Papam.

XI. Actione XXV. Maji Promotores Concilii quinquaginta Capita accuſationum proferunt adverſus Joannem XXIII.

XII. Seſſione die XXIX. Maji, Legati, qui ad Joannem Papam miſſi fuerant, ut Actione ſexta patet, referunt quænam egiſſent cum Joanne, illumque cauſari, *ſe pro Dei Eccleſia & ejus unione permulta feciſſe*

*etiam*

*etiam antequam fuiſſet in Papam aſſumptus, & ante Concilii Conſtantienſis inchoationem, in quo etiam ſe obtuliſſe ait liberam ceſſionem Papatus, & valde dolere quod tam turpiter inde receſſiſſet: ſe nullam defenſionem aut exceptionem facere velle contra proceſſum in ſe factum à ſacro Concilio, ſed paratum eſſe ejus determinationi & ordinationi parere, eamque ratificare: optimeque ſcire & affirmare Concilium Conſtantienſe ſanctiſſimum, ac Piſani Concilii continuationem eſſe, neque errare poſſe: ac proinde ei nullo modo velle contradicere, etiamſi eſſet Bononiæ, aut in alio quocumque loco libero ſibique magis accepto: fateri publice ſe in Papatu nullum jus habere; & deſiderare ut quam cito ſententia abdicationis contra ſe ferretur, quippe qui eam confirmare, ratificare, & emologare paratus eſſet, ut jam omnia geſta Concilii contra ſe ratificabat, approbabat, & confirmabat, promittebatque contra ea ſe aliquando minime reclamaturum.* En ſumma eorum quæ Legati de Joanne retulerunt. His autem peractis, Patres primum decernunt, *ſi contigerit Sedem vacare, ne ſine expreſſo Conſtantienſis Synodi conſenſu & auctoritate ad electionem Papæ procedatur.* Deinde verò ſententiam definitivam adverſus Joannem pronunciant: *illumque velut notorium ſimoniacum, bonorum Eccleſiæ dilapidatorem, & notorie ſcandalizantem Eccleſiam ſuis deteſtabilibus atque inhoneſtis vita, moribus, &c. condemnant, & à*

Pa-

*Papatu, atque omni ejus adminiſtratione ſpirituali & temporali privant, atque deponunt, &c.* Qua ex ratione procedendi innoteſcit Patres Concilii Conſtantienſis tenuiſſe Joannem XXIII. pro vero, legitimo atque indubitato Papa, quippe qui ante ejus abdicationem ſtatuerint, *ſi Sedes vacare contingeret, non eſſe ad novi Pontificis creationem procedendum niſi de conſenſu & auctoritate Synodi, &c.* Deinde poſt ejuſdem abdicationem eadem Seſſione decernunt, *ut neuter Antipaparum eligeretur ad Papatum*, quod argumento eſt illos cenſuiſſe ſedem vacare per Joannis abrogationem.

4. Et hic occurrit quartum monimentum praxeos auctortiatis Concilii ſupra Papam. Verum cum poſt Joannis exauctorationem non deeſſent in ipſo etiam Concilio Conſtantienſi, qui Joannem tuerentur, quos inter erat Joannes Patriarcha Antiochenus, Cardinalis Alliacenus, & Gerſonius Cancellarius Pariſienſis ſcripſerunt tractatus *de Eccleſia auctoriate*, eoſque coram ſacro Concilio publice recitarunt. Gerſonius quidem librum *de poteſtate Eccleſiaſtica* anno MCCCCXVII. die VI. Februarii, ut in fine illius libri teſtatur. Actione XIII. die XV. Junii MCCCCXV. conditur Canon de Euchariſtia à jejunis ſumenda, & de communione laica ſub una ſpecie panis.

Seſſione XIIII. die IV. Julii ſequentis Ca-

Carolus de Malateſtis Procurator Gregorii Papæ XII. in ſua obedientia venit ad Synodum, ut nomine Gregorii Papatum ejuraret, ea lege ut etiam Gregorii nomine & auctoritate Synodus Conſtantienſis indiceretur in Apulia, quæ tum Gregorio parebat, atque etiam confirmaretur: Cavit inſuper Gregorius, ut Acta ejuſdem Concilii, quoad ei adhæſiſſet, potius ſub nomine Sigiſmundi Imperatoris, quam Synodi Conſtantienſis ederentur. Quocirca Patres Conſtantienſes hanc Seſſionem ſic concipi voluerunt; *Anno à nativitate Domini* MCCCCXV. *Apoſtolica ſede vacante, regnanteque Sereniſſimo & Invictiſſimo Principe Domino Sigiſmundo Rege Romanorum, Hungariæ, &c. Die autem Jovis* IV. *menſis Julii fuit tenta Seſſio generalis per ſanctam Synodum Conſtantienſem, &c.* Reliqua videbit Lector. Cæterum Cajetanus, qui undequaque arripit occaſionem labefactandi Decreta quartæ & quintæ Seſſionis capite XI. Apologiæ ſuæ, *de comparata auctoritate Papæ & Concilii*, hinc efficere conatur Conſtantienſe Concilium non fuiſſe legitimum, & verum ante Gregorii XII. adhæſionem: & Patres Conſtantienſes id certiſſime indicare, quando Gregorii XII. poſtulatis annuerunt & ſubſcripſerunt: conſenſerunt enim ut ille etiam indiceret & confirmaret Concilium, atque etiam ut ſub nomine Sigiſmundi acta ederentur, &c. *Quod ſi poti-*

*tius*, inquit Cajetanus, *ſcandalum permitti debet à qualibet ſingulari perſona, quam ut veritas deſeratur: quomodo Concilium univerſale à Spiritu ſancto rectum potius veritatem deſeruit, ſeipſum facto negans, quam ſcandalum permittere voluit jam natum*; Ac ſi diceret Cajetanus, Patres Conſtantienſes ſi moraliter compertum habuiſſent ſe verum atque legitimum efficere Concilium, nunquam pati debuiſſe ut nomine atque auctoritate Gregorii Antipapæ Synodus Conſtantienſis indiceretur & confirmaretur. Unde à primo ad ultimum perſuadere vult, Decreta de eminentia Concilii ſupra Papam facta non fuiſſe in Synodo generali legitima. Quæ dum attendo, valde addubito, utrum Gregorius Antipapa magis fuerit in culpa, quod tamdiu Eccleſiæ unionem & ſchiſmatis exſtirpationem impediverit: An Cajetanus, qui tam ſedulo ejus Acta ſophiſticis argutiis defendere molitur: Siquidem pura quæſtione facti juris quæſtionem obruit. Profecto Cajetanus, ut Curialis homoque mundanus, non ut manſuetudine legis gratiæ & ſapientia Chriſtiana inſtructus, loquitur: Si enim Deus quædam nobiſcum agit in ſacris ſcripturis per Anthropopathiam & condeſcenſionem: atque ipſemet Chriſtus ſeſe exinanivit ut Sathanam exarmaret, & mundum Deo Patri lucrifaceret: quid mirum eſt, Patres Conſtantienſes, ut ſchiſmata ſarcirent, &

pa-

pacem Eccleſiæ Catholicæ redderent, de jure ſuo in ſpeciem aliquantulum receſſiſſe, ut duos ambitioſos, pervicaces, & fœdifragos Antipapas ad concordiam adducerent? Quod pluſquam humanæ fuit ſapientiæ, quam homines mundanos deſpicere non eſt mirabile: *quando animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt, ſtultitia eſt illi; & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur.* 1 Corinth. 2. Equidem Gerſonius, qui Synodo Conſtantienſi intererat, quo ſenſu hæc Acta Concilii capi debeant, explicat ſermone, quem inſcripſit, *Pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna*, directione IV. Siquidem Sigiſmundus Imperator ſe in Arragoniam contulit, ut hominem pervicacem ad unionem faciendam invitaret: Ita ergo habet Cancellarius; *Concilium generale ſic eſt ſuper omnes leges poſitivas, vel à ſummis Pontificibus, vel à generalibus Conciliis editas, quod eas poteſt interpretari, mutare, vel tollere, pro quanto videretur impedimentum vel ſcandalum eſſe ad iter Eccleſiaſticæ unionis. Hoc practicavit præſens Concilium tollendo pœnas omnes, & inhabilitationes &c. ſuſpendendo inſuper futuram ſummi Pontificis electionem, recipiendo denique ad cautelam, & humili quadam condeſcenſione prætenſam confirmationem Concilii à Domino Papa* (Gregorium XII. deſignat) *cum multis ſimilibus: quæ & qualia jurium poſitivorum rigor non admittit.* Sane quidem Patres Con-

ſtan-

*tius*, inquit Cajetanus, *ſcandalum permitti debet à qualibet ſingulari perſona, quam ut veritas deſeratur: quomodo Concilium univerſale à Spiritu ſancto rectum potius veritatem deſeruit, ſeipſum facto negans, quam ſcandalum permittere voluit jam natum*; Ac ſi diceret Cajetanus, Patres Conſtantienſes ſi moraliter compertum habuiſſent ſe verum atque legitimum efficere Concilium, nunquam pati debuiſſe ut nomine atque auctoritate Gregorii Antipapæ Synodus Conſtantienſis indiceretur & confirmaretur. Unde à primo ad ultimum perſuadere vult, Decreta de eminentia Concilii ſupra Papam facta non fuiſſe in Synodo generali legitima. Quæ dum attendo, valde addubito, utrum Gregorius Antipapa magis fuerit in culpa, quod tamdiu Eccleſiæ unionem & ſchiſmatis exſtirpationem impediverit: An Cajetanus, qui tam ſedulo ejus Acta ſophiſticis argutiis defendere molitur: Siquidem pura quæſtione facti juris quæſtionem obruit. Profecto Cajetanus, ut Curialis homoque mundanus, non ut manſuetudine legis gratiæ & ſapientia Chriſtiana inſtructus, loquitur: Si enim Deus quædam nobiſcum agit in ſacris ſcripturis per Anthropopathiam & condeſcenſionem: atque ipſemet Chriſtus ſeſe exinanivit ut Sathanam exarmaret, & mundum Deo Patri lucrifaceret: quid mirum eſt, Patres Conſtantienſes, ut ſchiſmata ſarcirent, & pa-

pacem Eccleſiæ Catholicæ redderent, de jure ſuo in ſpeciem aliquantulum receſſiſſe, ut duos ambitioſos, pervicaces, & fœdifragos Antipapas ad concordiam adducerent? Quod pluſquam humanæ fuit ſapientiæ, quam homines mundanos deſpicere non eſt mirabile: *quando animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt, ſtultitia eſt illi; & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter examinantur.* 1 Corinth. 2. Equidem Gerſonius, qui Synodo Conſtantienſi intererat, quo ſenſu hæc Acta Concilii capi debeant, explicat ſermone, quem inſcripſit, *Pro viagio Regis Romanorum ad Petrum de Luna*, directione IV. Siquidem Sigiſmundus Imperator ſe in Arragoniam contulit, ut hominem pervicacem ad unionem faciendam invitaret: Ita ergo habet Cancellarius; *Concilium generale ſic eſt ſuper omnes leges poſitivas, vel à ſummis Pontificibus, vel à generalibus Conciliis editas, quod eas poteſt interpretari, mutare, vel tollere, pro quanto videretur impedimentum vel ſcandalum eſſe ad iter Eccleſiaſticæ unionis. Hoc practicavit præſens Concilium tollendo pœnas omnes, & inhabilitationes &c. ſuſpendendo inſuper futuram ſummi Pontificis electionem, recipiendo denique ad cautelam, & humili quadam condeſcenſione prætenſam confirmationem Concilii à Domino Papa* (Gregorium XII. deſignat) *cum multis ſimilibus: quæ & qualia jurium poſitivorum rigor non admittit.* Sane quidem Patres Conſtan-

ſtantienſes hac Seſſione XIV. nominatim declarant iſtam cautelam abundantiorem pro majore bono factam; Attende Lector; *Sacroſancta Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto legitime congregata, Eccleſiam Catholicam repræſentans, ut iſtæ duæ obedientiæ, videlicet, illa, quæ profitetur Joannem* XXIII. *olim fuiſſe Papam, & illa, quæ profitetur Dominum Gregorium* XII. *eſſe Papam, uniantur, una alteri, & altera alteri conjungantur ſub capite Chriſto, dictas convocationem, auctorizationem, approbationem, & confirmationem, nomine illius Domini, qui in ſua obedientia dicitur Gregorius* XII. *nunc factas, quantum ad ipſum ſpectare videtur (quia abundans ad certitudinem pro bono cautela nemini nocet, ſed omnibus prodeſt) in omnibus & per omnia admittit, & amodo has ſupradictas obedientias conjunctas & unitas eſſe decernit, & declarat in uno corpore Domini noſtri* Jesu *Chriſti, &c.* Sed ut Cajetanum argumento ad hominem expugnemus, velim reſcire, ſi Gregorius (ut ariolatur) exiſtimavit Conſtantienſe Concilium nequaquam verum & legitimum eſſe Concilium, cur paſſus eſt Patres Conſtantienſes hac Seſſione XIV. aſſerere *Concilium Conſtantienſe in Spiritu ſancto legitime congregatum eſſe, & Eccleſiam Catholicam repræſentare.* Item, cur ab iiſdem Patribus flagitavit, *vellent, juberentque ſuæ ſaluti & ſecuritati futuræ conſuli, caverique, ne dehinc*

qui

*qui eligerentur Pontifices indubitati quicquam ſibi negotii aut periculi crearent, propter res à ſe vero vel putativo Papa, quomodocumque & qualitercumque geſtas uſque in diem, quo ſe Papatu abdicavit Seſſione* XVII. Hæcne, amabo, Gregorius potuit aut debuit ab iis petere, quos non rebatur certum atque indubitatum efficere Concilium? minime gentium: quid ergo illis cautionibus, quas urget & obtendit Cajetanus, moliebatur? volebat ſcilicet ſuæ ambitioni imaginariæ velificari, & excuſationem aliquam ſuo errori inveterato prætexere, atque ſuam conditionem meliorem reddere, & nihil aliud intendebat. Quod ſi argutulus ſophiſta hic opponat, Gregorium non duxiſſe Conſtantienſe Concilium fuiſſe ligitimum antequam eidem adhæſiſſet, parum quidem proficiet: quia (ut alias docui) unitas atque auctoritas Eccleſiæ hoc articulo fidei decantata; *Credo unam ſanctam Eccleſiam Catholicam, &c.* habitare non poteſt apud illos, qui unitatem vel oppugnant, vel totis nervis impediunt, ut Gregorius, cui ſola Apulia obtemperabat. Accedit præterea, Benedictum, cui Arragonia, Scotia, cum Comitatu Armeniaco parebat, eadem excipere, & poſtulare potuiſſe cum Gregorio: & conſequenter, ne quidem poſt unionem Gregorii, Conſtantienſe Concilium legitimum eſſet, ſi ſuperior argutia obtineret.

Cæterum hac Seſſione XIV. Decretum conditur de interpellando Petro de Luna, ut exemplo Joannis XXIII. & Gregorii XII. cedere vellet Papatu: eamque ob cauſam Sigiſmundus Imperator rogatu Patrum proficiſcitur in Arragoniam, ſed fruſtra: quia homo perditus, tanquam aſpis ſurda, aures obturavit, neque unquam animum ad jungere voluit: & hinc patet cæcum fuiſſe Platinam dum Petrum de Luna *virum bonum & reipublicæ Chriſtianæ amantiſſimum* nuncupat.

XV. Seſſione die VI. Julii condemnantur errores Joannis Hus, ejuſque perſona Curiæ ſeculari traditur: Ille aútem de hoc judicio appellavit ad Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, tanquam ad ſummum Judicem, ut habetur in ſententia condemnationis.

XI. Eadem Seſſione hæc Propoſitio Joannis Parvi, Theol. Pariſienſis, cædem Ducis Aurelianenſis à Duce Burgundo factam propugnantis, ſic damnatur. *Quilibet Tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcumque Vaſſallum ſuum, vel Subditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito juramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia, vel mandato Judicis cujuſcumque. Adverſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus inſurgere, & ipſum funditus tollere, præhabita deliberatione ma-*

Digitized by Google

*matura declarat, decernit, & definit, hujuſmodi doctrinam erroneam in fide & moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria vias dantem, reprobat & condemnat. Declarat inſuper, decernit & definit, quod pertinaciter doctrinam hanc pernicioſiſſimam aſſerentes, ſunt hæretici, & tanquam tales juxta Canonicas ſanctiones puniendi.* Cui Decreto adjungenda eſt Condemnatio propoſitionis decimi ſeptimi Articuli errorum Joannis Wicleff, cujus jam memini Seſſione octava: *Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.* Cæterum memoratus Ioannes Parvus ſuperiorem Propoſitiotionem novem quaſi rationibus ſeu appendicibus confirmare nitebatur, quæ longe plures errores continebant, quam memorata Propoſitione continentur. Prima Propoſitio erat; *Quod Lege divina, naturali, & humana liceret occidere, vel curare ut occideretur Tyrannus, qui per fraudes, machinationes, dolos, & aliis viis ſecretis Regem ſuum perimere moliretur: maxime vero quando Rex talem Tyrannum punire non poſſet; quia hic nimis potens eſſet.* Quæ Propoſitio cum niteretur levibus conjecturis, & rumoribus fictis ab inimicis Ducis Aurelianenſis, qui graviter ferebant illum Regentum eſſe Franciæ: ideo ut falſa, & multipliciter ſcandaloſa, & erronea damnata fuerat ab Epiſcopo Pariſienſi.



Digitized by Google

Secunda Propoſitio erat; *Lege divina, naturali, & humana licere unicuique ſubdito talem tyrannum occidere, vel curare ut occideretur.* Tertia, & quarta: *Licitum & meritorium eſſe talem occidere tyrannum, vel curare ut occideretur etiam inſidias quaſcumque, & quocumque modo.* Quinta, ſexta, & ſeptima: *Occiſores tyrannorum ejuſmodi dignos eſſe præmio, ac Regem illos debere honore & muneribus afficere.* Octava: *Occiſorem talis tyranni nihil agere contra præcepta Dei bene intellecta: quoniam litera occidit, ſpiritus vivificat.* Nona: *Quamquam confœderatio aut juramentum inter tyrannum, & occiſorem tyranni interceſſerit, de fide & amicitia ſervanda inter ſe, tamen ejuſmodi confœderationem & juramenta non obligare, ſi contingat illa cedere in damnum ſuæ uxoris, familiæ, &c. cum ex ordine charitatis quilibet teneatur ſeipſum, uxorum, & familiam plus diligere, &c.* Quæ omnes Propoſitiones ſunt damnatæ ab Epiſcopo Pariſienſi *tanquam falſæ, erroneæ, ſeditioſæ: & ultima quod vias inſuper muniret ad mendacia & perjuria.*

Cæterum in Synodo Conſtantienſi annitebatur Gerſonius, ut hujusmodi novem Appendices etiam damnarentur cum ſua generali aut cardinali Propoſitione, haſque cauſas adferabat. Primum, quod Ioannes Parvus ſuas propoſitiones jure divino, naturali, & humano fulciret tanquam certiſſimas. Secun-

do, quod aſſereret quocumque modo, abſque diffidatione, ignominioſe, ac derepente occidi poſſe Tyrannum. Tertio, quod Rex occiſorem Tyranni deberet approbare, atque honore & præmio afficere. Quarto, quod proprio ſuo ſenſu ſacram Scripturam in ſuum privatum ſenſum ac errorem diſtorqueret: ac quoslibet privatos faceret interpretes ſenſus literalis ſcripturæ, aſſerendo literam occidere,& ſpiritum vivificare. Quinto, quod falſo ſupponeret Regem non pollere poteſtate puniendi juridice illum quem Tyrannum eſſe fingebat: & proinde ab alio quocumque, & quacumque via poſſe occidi. Cum autem Patres Concilii has quinque circumſtantias in condemnatione Propoſitionis generalis omiſiſſent, ſuadebat Gerſonius errorem illum non ſufficienter, ſed valde diminute damnatum eſſe, eo quod plerique Duci Burgundo faverent, cujus rei cauſam reddit in Dialogo apologetico Actorum Synodi Conſtantienſis, de quo infra commodius agetur Seſſione ultima. Joannes Mariana libro primo de Rege & Regis inſtitutione capite ſexto, ubi pro certo & comperto hanc aſſertionem defixit) quam tamen lege divina incertam alias oſtendemus) nimirum *quæſtionem juris*, hoc eſt, licere Tyrannum interimere, *eſſe in aperto*: ſolam vero *quæſtionem facti*, id eſt, quis habendus ſit Tyrannus, *obſcuram eſſe*: Tandem in fine capitis

hæc ſubjicit ; *Moveat fortaſſe ad extremum, quod Patribus Concilii Conſtantienſis Seſſione quinta decima reprobatum eſt, Tyrannum poſſe & debere occidi à quocumque ſubdito, non aperta vi modo, ſed & per inſidias & fraude. Verum id decretum Romano Pontifici Martino* V. *probatum non invenio, non Eugenio, aut ſucceſſoribus, quorum conſenſu Conciliorum Eccleſiaſticorum ſanctitas ſtat: ejus præſertim, quod non ſine Eccleſiæ motu tricipiti Pontificum diſſidio de ſummo Pontificatu contendentium celebratum fuiſſe ſcimus. Et erat Patribus propoſitum Huſſitarum licentiam frenare, reprobare placita exiſtimantium quocumque Principes crimine admiſſo, principatu cadere, poſſeque poteſtate, quam injuria occupabant, à quocumque impune ſpoliari: ac proprie Joannis Parvi Pariſienſis Theologi vanitatem improbare animus erat Ludovici Aurelianenſis cædem à Joanne Burgundo Lutetiæ factam eo commento excuſantis, quaſi Tyrannum opprimere fas ſit privata auctoritate; quod non licet, præſertim violato juramento, uti ille fecit, neque expectata ſententia ſuperioris, ſi facultas ſuppetat videlicet, ſic enim Patres loquuntur.*

Hactenus Mariana, in cujus opinione quatuor animadvertenda video ; Primo, Decretum Synodi Conſtantienſis adverſus Tyrannicidas non probatum fuiſſe Martino V. Immo vero, Mariana, Otho de Columna Cardinalis S. Georgii in Velabro, qui Piſano,

no, & Conſtantienſi Concilio, nec non huic decimæ quintæ Seſſioni, cum deliberaretur; interfuit; poſtquam eſt creatus Papa nominatim dixit Seſſione ultima Conſtantienſi, *ſe omnia probare quæ facta fuerant conciliariter in materia fidei.* Porro hanc materiam ad fidem ſpectare docetur hac eadem Seſſione xv. Deinde conciliariter aliquid ſanciri, eſt primum inter Nationes diſcuti: deinde ad Synodum referri, ut publica Seſſione Decretum condatur: quod ita factitatum ipſa Acta clamant eadem Seſſione xv. ubi decretum ſilentii ad hunc modum concipitur: *Et quia jam materia Deo annuente tractanda per omnes nationes, & ſanctos Patres, Spiritu Sancto dirigente, unanimiter & concorditer concluſa eſt, prout audietis; prohibet, & mandat eadem ſancta Synodus ſub ſimili pœna ac fautoriæ hæreſis, ne quis clamare, contradicere, aut etiam ſurgere, diſputare vel defenſare, aut alta voce loqui audeat, niſi hoc per ipſam ſanctam Synodum deputatus, &c.* Quibus ex verbis claret res in Seſſione xv. tractatas, primum Nationaliter, deinde Conciliariter definitas fuiſſe: Nihil enim unquam eſt Synodice concluſum, quod non prius tributim & Nationaliter, rationibus utrinque agitatis, diſcuſſum fuerit. Quantum autem laboris atque temporis Patres Conſtantienſes impenderint in definienda controverſia adverſus Tyrannicidas, leges apud Gerſonium

IV. *de Conſolatione Theologiæ* Dialogo ultimo: ubi non obſcure indicat librum fratris Joan. Falkemberg, de quo ultima Seſſione nominatim diſputabitur, ad hanc materiam de occidendis Tyrannis ſpectare.

Secundo, cum Martinus V. diſerte confirmarit hanc Seſſionem XV. ut dictum eſt (ego argumento utor ad hominem) fruſtra eſt Mariana, ut demonſtret non probatam fuiſſe Eugenio, cæteriſque Eugenii ſucceſſoribus: Hoc enim procederet in infinitum, pertinetque ad quæſtionem facti: ac ſuperfluum eſſet cogere Concilia, ſi ab omnibus Succeſſoribus Pontificum nominatim acta Synodorum auctorari oporteret: quæ Marianæ & ſequacium opinio inde manat, quod arbitrentur Papam abſolutum & infallibilem eſſe Monarcham Eccleſiæ: atque ejus ſolo imperio, non Ariſtocratico regimine, cuncta debere peragi in Eccleſia: quæ opinio damnatur Seſſione IV, & V. hujus Synodi.

Tertio, falſo quoque obtendit Eccleſiam motu tricipiti Pontificum laboraſſe: quando certiſſimum & demonſtratum eſt, Joannem XXXIII. exauctoratum fuiſſe Seſſione XII. & Gregorium XII. jus ſuum ejuraſſe Seſſione XIV. Quare ſolus Benedictus XIII. ſupererat: ſed pridem ante in Synodo Piſana damnatus fuerat. Accedit, quam-

quamquam motus ille triceps extitiſſet, tamen auctoritatem Pontificiam non potuiſſe reſidere apud Benedictum, & Gregorium Antipapas, propter ea quæ ſuperius cap. ſecundo docui num. VI. ubi oſtendi ex ſententia Bellarmini ſolum Alexandrum V. & Joan. XXIII. fuiſſe veros & legitimos Pontifices.

Quarto, imponit Patribus, dum perhibet illos docere nefas eſſe Tyrannum perimere, ſi facultas ſuppetat habendæ ſententiæ Superioris: hæc enim verba, *ſi facultas ſuppetat* [*ſcilicet*, commenta ſunt Marianæ, non definitio Patrum Conſtantienſium: Et quamquam in nefaria Ioannis Parvi aſſertione à Patribus relata hæc legantur; *non expectata ſententia vel mandato Judicis cujuſcumque*: attamen non propria ſunt Concilii. Hæc autem ideo excogitata ſunt à Mariana, ut ſuam opinionem de Tyrannis tollendis venditaret contra decretum Conſtantienſe: quippe qui nominatim doceat, licitum privatis hominibus privato motu Tyrannos duabus de cauſis interimere. Prior cauſa eſt, ſi nullum intercedat ſacramentum privatim datum quod violetur, ſicut à Duce Burgundo violatum fuit: Hic enim ſacramenti religione interpoſita Ducem Aurelianenſem ad amicitiam ſimulatam invitarat. Altera cauſa eſt, ſi facul-

tas habendæ ſententiæ ſuperioris, ſive ad declarandum aliquem Tyrannum, ſive ad eundem opprimendum minime ſuppetat: ſed genuina verba Marianæ expendere præſtat: *Roges*, inquit, *quid faciendum ſi publici conventus facultas erat ſublata, quod ſæpe poteſt contingere: Par profecto mea quidem ſententia judicium erit, cum Principis tyrannide oppreſſa republica, ſublata civibus inter ſe conveniendi facultas, voluntas non deſit delendæ tyrannidis, ſcelera Principis manifeſta modo & intoleranda vindicandi, exitiales conatus comprimendi, ut ſi ſacra patria peſſundet, publicoſque hoſtes in provinciam attrahat, qui votis publicis favens eum perimere tentarit, haudquaquam inique eum feciſſe exiſtimabo.* Hæc Mariana capite VI. libri. I. Deinde capite VII. nefanda commiſeratione erga illos, qui ſe mactandis Tyrannis ferro devovent, ne ſcilicet ſi deprehendantur pœnas luant, docet Magiſter nequitiæ ſecurius eſſe veneno quam ferro Tyrannos tollere: quæ doctrina nunquam ſatis poteſt odio haberi, cum viam ſternat ſeditionibus ad evertendas Politias, & Reges quoſcumque quæſito colore Tyrannidis trucidandos.

Certe hæc à Mariana & ejus ſodalibus parabantur in caput Henrici IV. Galliarum Regis, quo tempore Gallia bellis civilibus flagrabat. Verum quis non demiretur Petrum Cotonum ſtatim poſt Henricum Magnum

gnum extinctum, menſe Julio anni MDCX epiſtolam declaratoriam doctrinæ Societatis Jeſuitarum Reginæ matri nuncupaviſſe, ac eadem epiſtola nominatim in laudes Decreti Concilii Conſtantienſis contra tyrannicidas excurriſſe: Deinde vero menſe Auguſto ſequenti inſtitutionem Catholicam ſub nomine ejuſdem Reginæ evulgaviſſe, in qua libro II. cap. VII. de Conciliis generalibus, Synodum Conſtantienſem ex albo Conciliorum generalium penitus induxit atque delevit: ſic enim ex eodem ore frigidum & calidum illudendis hominibus ſpirari experimur.

Cæterum, ut ad hiſtoriæ continuationem redeamus: quando M. Andreas Vallius quarta parte quæſtione VII. libri *De ſuprema poteſtate Papæ* contendit tempore ſchiſmatis, Concilium non poſſe res fidei definire ſed tantum ſchiſma ſarcire certumque & indubitatum Pontificem eligere, profecto actis Concilii Conſtantienſis, & concluſioni Synodi factæ à Martino V. aperte repugnat: ſiquidem ex hac Seſſione XV. liquet, hæreſes Wicleffiſtarum, Huſſitarum, & tyrannicidarum pridem ante Martini V. electionem damnatas à Patribus Conſtantienſis Synodi: Deinde Martinum ultima Seſſione cuncta & ſingula, quæ facta fuerant conciliariter in materia fidei comprobaſſe. Et ita planum evadit, Vallium quæ diſputat de ſua phantaſia,

ſia, non de veritate actorum, promere.

XVI. Actione die XI. Julii MCCCC XV. leguntur à Concilio Prælati, qui Imperatori Sigiſmundo comitatum præbeant in Arragoniam, alliciendi gratia Petri de Luna ad unionem.

XII. Actione XVII. Imperator cum prædictis Legatis diſcedunt à Concilio, habenturque publicæ ſupplicationes pro iiſdem: tum vero Gerſonius doctiſſimam habuit concionem coram Patribus, quam ita inſcripſit, *Sermo factus pro viagio Regis Romanorum*, in quo multa diſputat de Concilii & Papæ auctoritate. In hac autem Seſſione tertium monimentum praxeos decretorum quartæ & quintæ Seſſionis de Concilii eminentia ſupra legitimum atque indubitatum Papam legitur: quoniam Patres Conſtantienſes, ut honori & ſecuritati Angeli de Corario, qui Gregorius XII. In ſua obedientia nuncupabatur conſulerent, *ſtatuunt; ordinant, & decernunt, ut prædictus Angelus inter ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſit, & eſſe debeat primus titulo Epiſcopali, utque non poſſit, neque debeat conveniri, denunciari, accuſari, vexari, inquietari, impediri ordinarie ſive extraordinarie, ratione & occaſione ſpiritualis & temporalis adminiſtrationis Papatus vere ac putative, quomodocumque, & qualitercumque, de actis, geſtis, ordinatis, indultis, conceſſis, receptis, levatis, habitis, & erogа-*

*gatis, donatis, & alienatis, ac effuſis, quittatis, liberatis, aut aliis quibuſcumque, ſeu qualitercumque factis, ſeu peractis, per eum, ſeu ejus nomine ad cujuſcumque officii, vel cujuſcumque perſonæ inſtantiam, cujuſvis dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis, aut ſexus, etiamſi Papalis, Imperialis, vel Regalis exiſtat, de jure vel de facto, aut aliter qualitercumque conveniri; denunciari, accuſari, vexari, &c. Item ſtatuens & ordinans dicta ſancta Synodus, quod quilibet futurus Romanus Pontifex omnia & ſingula ſupradicta ſtudeat inviolabiliter obſervare, eaque ſuis Apoſtolicis in forma plena, congrua, & decenti approbet, ratificet, &c.* Vides, Lector, Synodum Conſtantienſem, tanquam immediate auctoritatem à Chriſto colligentem, futuris atque indubitatis Pontificibus legem figere: quod argumento eſt certiſſimo Patres intellexiſſe & voluiſſe decretum quartæ & quintæ Seſſionis de eminentia Concilii ſupra Papam abſolute ac ſimpliciter obligare quoſcumque Pontifices, nec tantum vim habere ſolo tempore ſchiſmatis, ut cavillantur Adverſarii.

Seſſione XVIII. die XVII. Auguſti mittuntur Legati ad D. Angelum de Corario Epiſcopum Cardinalem, & ad alios Cardinales, qui eidem cum eſſet Papa adhæſerant. cum gratioſo diplomate in eorum omnium grati-



Digitized by Google

tiam edito à Patribus Conſtantienſibus. Actione XIX. die XXIII. Septembris Hieronymus de Praga ſuam hæreſim abjurat: decerniturque quod non obſtante ſalvo conductu dato hæreticis ab Imperatoribus, & Regibus hæretici accuſari & damnari poſſint de hæretica pravitate: unde in vim hujus decreti Joannes Hus damnatus & uſtulatus eſt, idque occaſionem præbuit Bohemis arma capiendi & ſæviendi in Catholicos, quos ſæpe bello vicerunt. Sed redeo ad XIX. Seſſionem, in qua pariter edicitur, ut Carolina de libertatibus Eccleſiaſticis expediatur ſub Bulla Concilii: Carolina autem ideo vocatur, quod Carolus IV, Imperator Romanorum eam ſciverit in gratiam Eccleſiaſticorum, quam integram habes ad calcem Actorum Conſtantienſium, cui hæc alia eximia conſtitutio Patrum hujus Synodi pro Eccleſiæ libertate ſubjicitur:

XIII. *Cum paterna pietas filiis hominum providere debeat, licet in caſu neceſſitatis urgentis valeat viciſſitudo laudabilis, declarat ſancta Synodus non licere Romano Pontifici indictiones ſeu exactiones quaſcumque ſuper Eccleſiam, vel Eccleſiaſticas perſonas imponere per modum decimæ, vel alio quovis modo. Si vero cum neceſſitas acciderit Papæ, qua eſſet eidem debite ſubveniendum, vocato generali Concilio, ſecundum quod expediens videbitur & utile, ſecundum decretum Concilii provideatur eidem.* Qua conſti-

conſtitutione Synodus legem ac regulam certis atque indubitatis futuris Pontificibus præſcribit, & ita hoc erit quartum monimentum praxeos decretorum quartæ & quintæ Seſſionis. Neque vero premendum eſt ſilentio, iſtam decimarum ſicut & annatarum impoſitionem ab aliquot ſeculis viguiſſe, quibus Romani Pontifices ſeſe negotiis ſecularibus & rebus bellicis implicarunt: quod eorum incœptum nunquam tranſiſſet in rem judicatam, maxime in Galliis, niſi ſe Regum & Principum auctoritate muniviſſent ad exigendas hujuſcemodi impoſitiones: Et hinc ille luctus publicus Eccleſiarum. Cæterum hanc Conſtitutionem Synodicam de decimarum impoſitione Martinus V. ut infra oſtendetur, vanam reddere conatus eſt.

Anno M CCCC XV. die XXI. Novembris Seſſio XX. celebratur. Deinde Anno M CCCC XVI. die XXX. Januarii habetur ſolemnis congregatio in Eccleſia Cathedrali ad audiendos Oratores, qui cum Sigiſmundo Imperatore miſſi fuerant ad Regem Arragoniæ, & Benedictum XIII. referunturque duodecim capita, de quibus cum Arragoniæ Rege, & Comite Armeniaco concordarant pro unione obedientiæ Benedicti cum Synodo Conſtantienſi, quæ concordata probantur à Patribus Concilii.

Seſſione XXI. eodem anno die XXX. damnatur Hieronymus de Praga tanquam hæreticus.

Actio-

Digitized by Google

Actione XXII. die XV. Octobris ejuſdem anni Oratores Regis Arragonum uniuntur cum Synodo Conſtantienſi conformiter ad duodecim capita paulo ante propoſita.

Actione XXIII. die XV. Novembris Lis contra Petrum de Luna inſtruitur, ut ei dies peremptoria diceretur.

Tum die XXVIII. ejuſdem menſis in Seſſione XXIIII. Decretum de illo citando editur.

Actione XXV. die XIIII. Decembris Eccleſia Olomucenſis regni Bohemiæ, mortuo Patriarcha Antiocheno, qui eam regebat, datur in commendam Joanni Epiſcopo Lutomulſenſi, quoad Pontifex eligeretur.

Actione XXVI. die XXIV. Decembris ſtatuitur, ne juri alicujus nationis de prioritate votorum & ſuffragiorum derogaretur.

Præterea Actione XXVII. & XXVIII. anno MCCCCXVII. tractatur cauſa Epiſcopi Tridentini contra Fredericum Ducem Auſtriæ, qui in poſſeſſiones Eccleſiæ Tridentinæ invaſerat: quæ controverſia continuavit ad tempora Pii II. Papæ, & Cardinalis Cuſani.

Seſſione XXIV. die VIII. Martii MCCCC XVII. Petrus de Luna contumaciæ poſtulatur, ac primo citatur.

Et XXX. Seſſione Concilium approbat ſubſtractionem obedientiæ factam ab Arragoniæ Rege.

XIIII. Seſſione XXXI. ultima Martii decer-

cernitur adverſus Comitem Aſtenſem & Virtutum, eo quod Epiſcopo Aſtenſi vim intuliſſet, eumque in carcerem compegiſſet. *Nos igitur*, inquiunt Patres, *ſuper præmiſſis, prius ſummaria informatione auctoritate noſtra facta, attendentes, quod Subditi in eorum Prælatos, & Laici in Clericos nullam habent jurisdictionem & poteſtatem: & quod præmiſſa in libertatis Eccleſiaſticæ & Paſtoralis dignitatis vilipendium non modicum, & ſcandalum plurimorum redundare dignoſcuntur: Nolentes hujuſmodi offenſam, ſicut nec debemus ſub diſſimulatione tranſire, &c. Per hoc præſens publicum Edictum legendum & publicandum, ac in valvis majoris Papienſis, Novarienſis, & Aſtenſis Eccleſiarum Cathedralium affigendum, dictum Philippum Comitem, ejuſque Commiſſarios, Officiales, & quoſcumque alios, qui culpabiles fuerint in præmiſſis, in eos, & in quemlibet, ſub excommunicationis & interdicti, & in eiſdem Eccleſiis, civitate Aſtenſi, & cæteris terris & locis dictæ civitatis, & eidem Comiti ſubjectis, ſi monitioni hujuſmodi non paruerint, &c. atque præfatum Epiſcopum abſque quolibet contradictionis obſtaculo infra tres menſes à die relaxationis ipſius coram nobis perſonaliter acceſſurum, & ibidem juri pariturum, libertati ſuæ priſtinæ reſtituat cum familia, univerſiſque bonis ſuis abſque diminutione aliqua, &c.*

Porro ex hoc monitorio Cardinalis Bellar-

minus cap. xv. adverſus Barclajum colligit, *Subditos nullam habere Poteſtatem, etiam, Politicam, in Prælatos, ſicut nec Laicos in Clericos, nec Oves in Paſtorem.* Ad quæ primum reſpondeo ex doctrina ejuſdem Bellarmini, in Actis Conciliorum ea diligenter ſecerni oportere quæ ſunt Conciliariter facta, ab iis ſolum quæ Hiſtorice, aut alio quovis modo narrantur. In hoc autem monitorio Conciliariter facto clauſulam, quam oſtentui habet Bellarminus, de Eccleſiaſticorum immunitatibus, non Synodice & Nationaliter diſcuſſam, ſed tantummodo recitatam, & inſertam obiter abſque ullo examine: Ac proinde non vim Canonis, ſed nudæ recitationis obtinere: Non enim oſtendi poteſt, Patres Conſtantienſes Nationaliter & Synodice diſputaſſe, utrum Eccleſiaſtici ſubeſſent Legibus civilibus Principum politicorum.

Secundo oppono Patres Conſtantienſes hic agere de Clericorum exemptionibus, quibus Eccleſiaſtici à tempore immemorabili fruebantur ex Chriſtianorum Principum indulgentia in caſibus ordinariis, non autem in Privilegiatis, cujuſmodi ſunt crimina, quæ ad Regum aut Principum Statum & Majeſtatem ſpectant: Quo in caſu Principes nullam poſſunt immunitatem concedere, niſi una Regiam Majeſtatem abdicare velint, ut alias Deo bene propitio oſtendemus.

Ter-

Tertio Comitem hunc Aſtenſem, quem contra Synodus Monitorium decernit, nulla forma & ordine juris ſervato violentas manus in Epiſcopum Aſtenſem injeciſſe cum ex Synodo Conſtantienſi reverteretur, idque in caſu ordinario qui nullo modo ad crimen Læſæ Majeſtatis pertinebat. Quocirca Patres juſtam conquerendi occaſionem, & vindicandi Privilegia Eccleſiaſtica habuerunt, cum æquitate naturali nitantur.

Actione XXXII. die prima Aprilis MCCCCXVII. Petrus de Luna iterato ad valvas Eccleſiæ Conſtantienſis; deinde Actione XXXIII. duodecima Maji tertio citatur; ac die V. Junii Actione XXXIV. proponuntur & examinantur capita accuſationis contra illum.

Actione XXXV. die XVIII. Junii Oratores Regis Caſtellæ & Legionis nomine ſui Principis Synodo Conſtantienſi uniuntur.

Seſſione XXXVI. die XXII. Julii Petrus de Luna peremptorie citatur in diem XXVI. ejuſdem menſis ad audiendam definitivam Sententiam contra ſe.

Quare Seſſione XXVII. prædicto die XXVI. declaratur damnaturque tanquam notorius & incorrigibilis ſchiſmaticus & hæreticus.

Seſſione vero XXXVIII. die XXVIII. Julii antiquatur Decretum ejuſdem Petri de Luna editum adverſus Henricum Infantem Ar-

ragoniæ, Siciliæ, &c. Item nonnulla ſtatuuntur pro pace & concordia nationis Hiſpanicæ inter Reges Arragoniæ Caſtellæ, Portugalliæ, & Navarræ: Quo Decreto perlecto unus ex Regis Arragoniæ Oratoribus ſurrexit, atque cauſatus eſt præſens Decretum pro concordia nationis Hiſpanicæ Synodice promulgatum, non prius Nationaliter examinatum & probatum fuiſſe, ac propterea nullius eſſe ponderis. Contra autem Præſidentes quatuor Nationum reſponderunt, lectum & probatum fuiſſe à natiobus. *Et tunc Dominus Joannes Epiſcopus Oſtienſis, qui Seſſioni præſidebat, nomine totius Synodi ſuper omnibus præmiſſis reſpondit,* PLACET. Quæ profecto apprime notanda ſunt; quoniam explicate ordinem procedendi Patrum Conſtantienſium aperiunt, adeo ut quæ Conciliariter & non Nationaliter facta fuiſſent, nulla atque irrita haberentur, & contra: idque ultima Seſſione amplius confirmabitur.

XV. Anno MCCCCXVII. Seſſione XXXIX. die IX. Octobris editur Statutum de Synodis Generalibus frequentandis ſingulis decenniis: hic illud exſcribam ut conceptum eſt, quia partem facit pretii in hac Hiſtoria.

*Frequens Generalium Conciliorum celebratio agri Dominici cultura eſt præcipua, quæ vepres, ſpinas, & tribulos hæreſeum, & errorum, & ſchiſmatum exſtirpat, exceſſus corrigit,* de-

*deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrimæ fertilitatis adducet: Illorum vero neglectus præmiſſa diſſeminat, atque fovet: Hæc præteritorum temporum recordatio, & præſentium conſideratio ante oculos noſtros ponunt. Eapropter hoc Edicto perpetuo ſancimus, decernimus, & ordinamus, ut amodo Concilia generalia celebrentur, ita quod primum à fine hujus Concilii in quinquennium immediate ſequens: ſecundum vero à fine illius immediate ſequentis Concilii in ſeptennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebretur in locis quæ ſummus Pontifex per menſem ante finem cujuſlibet Concilii, approbante & conſentiente Concilio; vel in ejus defectum, ipſum Concilium deputare & aſſignare teneatur: ut ſic per quandam continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur. Quem terminum liceat ſummo Pontifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio ob emergentes forte caſus abbreviare, ſed nullatenus prorogare. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum abſque evidenti neceſſitate non mutet. Sed ſi forte caſus aliquis occurreret, quo neceſſarium videretur ipſum locum mutari, puta obſidionis, guerrarum, peſtis, aut ſimilis, tunc liceat ſummo Pontifici de prædictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium, ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum], ſub eadem tamen natione ſub-*

*rogare, niſi idem vel ſimile impedimentum per totam iſtam nationem vigeret: tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum hujuſmodi Concilium poterit convocari, ad quem Prælati & alii, qui ad Concilium ſolent convocari, accedere teneantur: ac ſi à Principio locus ille fuiſſet occupatus: quam tamen loci mutationem, vel termini abbreviationem per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus Pontifex legitime & ſolemniter publicare & intimare, ut ad ipſum Concilium celebrandum prædicti poſſint ſtatuto termino convenire.*

Eadem Seſſione conditur Decretum contra futura ſchiſmata, eo in caſu quo duo Antipapæ crearentur. Verum quinque potiſſimum notanda occurrunt in hac conſtitutione de frequentandis generalibus Synodis.

Primo, quintum monimentum praxeos auctoritatis Concilii ſupra Papam: quoniam futuris & indubitatis Pontificibus forma convocandorum, & frequenter habendorum Conciliorum, id eſt: ratio certa ſtatuendi in integrum Ariſtocraticum regimen præſcribitur. Sed proh dolor! quam miſerabiliter huic ſanctiſſimæ Legi illuſum ſit, ſeries hujus Hiſtoriæ docebit. Siquidem tempore primitivæ Eccleſiæ non ita certatum pro habendis Synodis, quam iſtis ſequioribus ſeculis, ne omnino celebrarentur, ſaltem debita & neceſſaria libertate.

Secundo hæ voces ſolemnes, *Edicto perpetuo*

*uo ſancimus, decernimus, & ordinamus, ſummus Pontifex, &c.* Plane illorum con‑ dunt opinionem, qui dicere audent, Pa‑ m Conſtantienſium Decreta de Concilii inentia ſupra Papam ſolummodo obligare npore ſchiſmatis.

Tertio obſervandum, Papam niſi de con‑ ſu Concilii locum futuro Concilio haben‑ idoneum deligere non poſſe: atque ſi for‑ Pontifex locum ejuſmodi cooptare, & ncilium indicere detrectarit, tum jus no‑ nandi loci, atque indicendæ Synodi ad um Concilium devolvi: quod eſt certiſſi‑ ım argumentum Eccleſiam regimine Ari‑ ocratico, non abſoluta poteſtate guberna‑ , atque Concilium ſupra Papam emine‑ .

XVI. Quarto, Patres Conſtantienſes divi‑ inſtinctu edicunt, ut per quandam con‑ ıuationem & certam præfixionem tempo‑ Concilia vigerent aut expectarentur: Sic im unicuique gravato & afflicto certa ratio via expedita inſtruebatur, qua ſe adverſus otentiorum injurias muniret per provocati‑ nem ad Generale Concilium: quod infalli‑ le eſt Eccleſiæ tribunal à Domino inſtitu‑ ım, Matth. xviii. Hac etiam de cauſa atres Nicæni canone v. & Conſtantinopoli‑ ıni canone ii. voluerunt ut ſingulis annis Concilia Provincialia bis celebrarentur, at‑ ue ibidem omnia Provinciæ Negotia defini‑

rentur: adeo ut Sacerdos, aut Laicus, qui à Romano Patriacha, verbi cauſa, excommunicatus fuiſſet, poſſet ad Synodum Provincialem provocare, ut alias oſtendimus.

Quinto notandum, Martinum V. ex præſcripto hujus Conſtitutionis futurum indixiſſe Concilium, ſcilicet, de conſenſu & approbatione Concilii: ſicque ipſa praxi agnovit ſe Decretis Synodi Conſtantienſis obſtringi.

XVII. Porro hac eadem Seſſione XXXIX. Patres omnibus futuris certis & indubitatis Pontificibus certam fidei profitendæ formulam figunt, ut eam ſtatim poſt ſuam electionem profiteantur: quam Regulam ipſe Martinus poſt ſuam inaugurationem ſtricte ſervavit: & ita ſextum Monimentum habemus praxeos ſuperioritatis Concilii ſupra Papam.

Septimum denique Monimentum eadem Seſſione legitur, ubi Patres omnibus futuris atque indubitatis Pontificibus edicunt, ne Prælatos pro animi ſui arbitrio invitos ad alium Epiſcopatum aut Sacerdotium transferant: Et ſi forte aliqua rationabilis cauſa illos transferendi emergat, illa à majori parte Cardinalium ſanctæ Romanæ Eccleſiæ cognoſcatur & definiatur, id eſt, ut hoc negotium non abſoluta poteſtate, ſed Ariſtocratice decidatur. Verum de tranſlatione Epiſcoporum legendus Balſamo in XV. Canonem

Sy-

nodi Nicænæ, & quæ nos ad eundem
nonem Nicænum obſervavimus, lib. 1.
jus Hiſtoriæ.

Octavum Monimentum praxeos Ariſto-
ıtici regiminis ibidem extat, dum Patres
vent, ne Pontifices Romani dehinc reſer-
tiones beneficiorum ſuper ordinarios uſur-
nt, mandata ingerant, aut gratias ex-
ctativas largiantur, vel in ſpolia Prælato-
m aliorumque Clericorum in Romana
ıria vel extra Curiam degentium invadant,
t ea ſibi reſervari imperent: hæc enim
ınia contra juris communis formam in-
oducta ſunt. Quibus cogitate ponderatis,
ıuet quantum hæc ſancta Synodus deſuda-
, ut jus commune ante actis ſeculis abro-
tum aliqua ex parte inſtauraret.

XVIII. Seſſione XL. die Sabbati XXX.
ctobris M CCCC. XVII. Illuſtre Decretum
per futura Eccleſiæ reformatione condi-
r, quod hic integrum exſcribam: *Sacro-
ncta generalis Synodus Conſtantienſis in Spi-
u Sancto legitime congregata, univerſalem
cleſiam repræſentans, ſtatuit & decrevit,
od futurus Romanus Pontifex per Dei gra-
ım de proximo aſſumendus; cum hoc ſacro
ncilio, vel deputandis per ſingulas nationes,
beat reformare Eccleſiam in capite & in
embris, & Curiam Romanam ſecundum
quitatem, & bonum regimen Eccleſiæ, ante-
ıam hoc Concilium diſſolvatur, ſuper materiis*

*Ar-*

*Articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum, quæ ſequuntur.*

I. *De numero, qualitate, & natione Dominorum Cardinalium.*

II. *De reſervationibus Sedis Apoſtolicæ.*

III. *De Annatis, communibus ſervitiis, & minutis.*

IV. *De collationibus beneficiorum, & gratiis expectativis.*

V. *De confirmationibus electionum.*

VI. *De cauſis in Romana Curia tractandis, vel non.*

VII. *De appellationibus ad Romanam Curiam.*

VIII. *De officiis Cancellariæ & Pœnitentiariæ.*

IX. *De exemptionibus & incorporationibus tempore ſchiſmatis.*

X. *De commendis.*

XI. *De fructibus medii temporis.*

XII. *De non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ.*

XIII. *Item propter quæ & quomodo Papa poſſit corrigi, & deponi.*

XIV. *De exſtirpatione Symoniæ.*

XV. *De diſpenſationibus.*

XVI. *De proviſione Papæ & Cardinalium.*

XVII. *De Indulgentiis.*

XVIII. *De decimis.*

*Hoc adjecto, quod facta per Nationes deputatione prædicta, liceat aliis de licentia Papæ libere ad propria remeare.*

Quo in Decreto ſeptem digna obſervatione ſe offerunt; Primo, Synodum, tanquam im-

ımediate prædıtam auctoritate à Chriſto, rtas leges & conditiones dicere indubitato ɔntifici proxime eligendo, ut Eccleſia capite & in membris reformetur, quemlmodum his vocibus patet, *decernit quod ıturus Pontifex debeat reformare Eccleſiam capite & in membris, &c.* Quocirca hic ɔnum extat monimentum praxeos emiɛntiæ Concilii & Ariſtocratici regiminis ıpra Papam.

Secundo, Patres cavent ne ejuſmodi reırmatio à ſolo Pontifice Romano, aut per us privatum & peculiare conſilium fiat, t à Leone X. actum eſt Seſſione IX. Syodi Lateranenſis anno MDXII. ſed volunt irigi per omnium nationum deputatos; a ut priuſquam diſſolvatur Concilium ;onſtantienſe, ſingulæ nationes aliquos iros ex ſuis nationibus legant, qui curam ɛformandæ Eccleſiæ cum Pontifice gerant, : licitum ſit ſingulis nationibus ſeſe in paɾiam recipere.

Tertio ſanciunt, ut ejuſmodi reformatio *'cundum æquitatem & bonum regimen* inſtauɛtur: quibus verbis duo requiruntur & ræſcribuntur. Alterum eſt ſummo jure on procedi oportere ad Eccleſiæ reformaonem: quia eam velle ad normam Eccleſiæ rimitivæ revocare, perinde eſſet ac ſi quiſiam tempore Pompeji, & Julii Cæſaris ɛmpublicam Romanam ad Curii Dentati,

Fa-

Fabritii, aut Catonis intonſi mores redigere ſtuduiſſet: Enimvero in Politicis, *ſummum jus ſumma injuria*: Unde Eccleſiaſtis VII. *Noli eſſe juſtus multum; neque plus ſapias quam neceſſe eſt, ne obſtupeſcas.* Quam ad legem ſi Novatores attendiſſent, Eccleſiam ſchiſmatibus diſtormatam hodie non haberemus. Cæterum injuria Scriptores transmontani de Synodi Conſtantienſis, & Baſileenſis decretis conqueruntur, eaque reſpuunt: cum ſi accurate tenerentur, longius quidem ab Eccleſiæ primitivæ diſciplina abeſſemus, quam hodie curiæ Romanæ placita à Synodi Conſtantienſis, & Baſileenſis conſtitutionibus recedunt. Sed ut ad alterum punctum, quod hic præmonſtratur, veniamus, *per bonum regimen* Patres jus commune & moderationem Ariſtocraticam deſignant, quæ conformior eſt naturæ, & ſanctioris diſciplinæ ſeminarium, ut alias explicavimus.

Quarto, dignoſcitur octodecim articulos memoratos primum inter omnes Nationes diſcuſſos, deinde ad Synodum relatos, ut vim Synodalis decreti ſortirentur.

Quinto, ex hac Seſſione XL. necnon ex III. explendeſcit fuiſſe propoſitum Patribus Conſtantienſibus Eccleſiam in capite & in membris reformare, antequam Synodus Conſtantienſis diſſolveretur: Verumtamen plurimos, quibus diſciplinæ Eccleſiaſticæ corruptela quæſtui erat, id remis & velis impe-

pe-

edivisſe, quam ob cauſam omnes Nationes
raviter conqueſtæ ſunt, & inter alias Gal-
icana. Cum enim Gerſonio, qui legatio-
em pro Rege Chriſtianiſſimo in hac ſacra
ynodo obibat, injunctum eſſet à Rege,
otaque Eccleſia Gallicana, ut omni ratione
c via neceſſaria Eccleſiæ reformationem in
apite & in membris promoveret, Gallicana
atio, ut expeditiorem viam hujus reforma-
ionis obtinendæ reſeraret, nomine Regis
Chriſtianiſſimi, & totius Eccleſiæ Gallicanæ
rofeſſa & pollicita eſt, Gallicanam Eccle-
iam pro quota parte ſua ornandæ dignitati
& ſtatui Romani Pontificis velle cumulate
providere, cæteriſque nationibus, ut idem
ſponderent, ſuaſit: quam in rem legendus
Gerſonius in diſcuſſione hujus propoſitionis;
*Sententia paſtoris etiam injuſta eſt timenda & tenenda.* Itaque ſtatim atque hæc Seſſio XL.
celebrata eſt, & octodecim Articuli memo-
rati pro futura reformatione Eccleſiæ Syno-
dice concluſi ſunt, Natio Gallicana quatuor
aliis Nationibus indixit & ſignificavit ſe certo
die conventum & deliberationem habituram
de materia & jure annatarum (ſingulis enim
nationibus in more poſitum erat ſeſe privatim
commonefacere, quibus de rebus eſſent trac-
taturæ) quo ſi vellent de iiſdem quoque rebus
in ſuis nationibus conſilium inirent: qua re au-
ditæ cæteræ nationes deputatos ſuos ad con-
ventum nationis Gallicanæ miſerunt, ut huic
de-

deliberationi, quæ de annatis erat futura, intereſſent: tumque ſeptem dies eadem de re eſt diſputatum: & tandem communi omnium Deputatorum aliarum nationum, totiuſque Gallicanæ nationis conſenſu & ſuffragiis concluſum in natione Gallicana; *Annatas ſive vacantias nullo jure deberi aut exigi poſſe à Romanis Pontificibus, & inpoſterum ſolvendas non eſſe.* Cum itaque tantum ſupereſſet, ut Concluſio hæc Nationaliter facta, Synodice etiam fieret; idque omnes nationes efficere conarentur, Domini Cardinales, cæterique Romanæ Curiæ Officiarii, quorum commodo privato Annatæ exiguntur, quo minus id fieret animoſe obſtiterunt: utque ſpes Eccleſia reformandæ in Concilium proxime futurum rejiceretur moliti ſunt. Quam ob cauſam Nationes, quæ votorum numero prævalebant, valde lamentari, & de futura Eccleſiæ reformatione tum aperte deſperare cœperunt. Cujus rei luculentum occurrit teſtimonium in Dialogo apologetico Cancellarii Pariſienſis pro Actis Synodi Conſtantienſis; *Hoc unum ſcio*, ait, *quod zelus habendæ unionis in ſchiſmate tam deſperato, tantique temporis, multa fecit tolerari, quæ fuiſſent aliunde nec tolerabilia, nec toleranda: Video quod Eccleſiæ reformatio nunquam fiet per Concilium ſine præſidentia Ductoris affectati bene, prudentis ſimul & conſtantis: provideant ſibi, dum ſciverint & potuerint, membra per provincias aut*

*ut regna: non quidem in multiplicatione conſti-tutionum novellarum, hoc magis interturbat quam adjuvat, ſed per exequutionem vivacem & virilem earum legum, quæ jam late ſunt abundantiſſime, ſupervacuis etiam reſecatis vel omiſſis. Video quod in doctrinis, quæ fidem, quæ religionem, quæ bonos & ſalubres reſpiciunt mores, vix invenietur in hac tempeſtate, rebus, ut ſunt, manentibus, nec habito forti favore potentiæ ſecularis, terminatio debita, vel expedita juſtitia, experto crede.* Hactenus Cancellarius poſt Martini V. electionem, & Concilii Conſtantienſis diſſolutionem, quaſi divinitus ea præſentiens & prænuncians, quæ aliquanto poſt in Synodo Baſileenſi (quo tamen futuræ reformationis ſpes rejecta fuerat) actitata ſunt. Neque hac in parte Cardinalem Cameracenſem præceptorem ſuum, alias tam ſæpe laudatum à ſe, veritus eſt offendere Cancellarius, cum reputaret multo plus Deo & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quam humanis officiis tribui oportere. De Annatis autem quid ſentiret, conformiter ad Eccleſiæ Gallicanæ apologiam, quam mox exhibebimus, declaravit Gerſonius libro *de poteſtate Eccleſiaſtica* Conſideratione VIII. quem librum, ut jam monui, in Synodo Conſtantienſi lucubravit, & coram Patribus pronunciavit. Porro Martinus V. quamprimum eſt renunciatus Pontifex, cum ad juſtum hunc dolorem nationum attenderet, ſe totum pla-

placandis nationibus dedidit; quia timebat ne duo gravia incommoda ex hoc diſſidio emergerent. Primum, ne id aliquam acceſſionem ad inveteratum ſchiſma repaſtinandum præberet: ſiquidem Petrus de Luna, quanquam exauctoratus, ſuperſtes erat: & Gerſonius paulo ante teſtatus eſt, deſiderium ſarciendi ſchiſmatis effeciſſe, ut multa tolerarentur alioqui intolerabilia. Quocirca Martinus Papa, quoad ſpes Eccleſiæ reformandæ, quam proximo Concilio fore pollicebatur, effectum nanciſceretur, quaſdam conſtitutiones pro reformanda Eccleſia de conſenſu Concilii ſancivit, ut ex Seſſione XLIII. perſpicuum evadit: ad cujus Seſſionis calcem hoc Martini Statutum legitur: *Decernimus & declaramus, ſacro approbante Concilio, per decreta, ſtatuta & ordinata, tam lecta in præſenti Seſſione, quam corcordata cum ſingulis Nationibus ejuſdem Concilii, &c. ſuper Articulis contentis in decreto ſuper reformatione fienda die Sabbati trigeſima menſis Octobris proxime præteriti, promulgata fuiſſe, & eſſe jam ſatisfactum. Quibus Decretis ac ſtatutis ſic (ut præmittitur) lectis reverendiſſimus Pater D. Joannes Epiſcopus Oſtienſis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, & Vicecancellarius de voluntate Nationum ac ipſius Synodi, & eorum nominibus, ut aſſeruit, reſpondit in hunc modum: De mandato Nationum reſpondeo, quod placent Nationibus decreta*

*recitata, & cuilibet Nationi placet concordia cum ipſa per Dominum noſtrum facta, & per præmiſſa fatentur dicto Decreto (Seſſionem* XL. *intelligit) jam eſſe ſatisfactum, non intendentes propterea quod Concordata cum una Natione in aliquo alteri Nationi afferant præjudicium.* Et hæc Martinus pro ſedando, aut potius incruſtando dolore, quem Nationes, & potiſſimum Gallicana conceperat; ob remiſſam in aliud tempus, & Synodum, & Eccleſiæ reformationem. Alterum incommodum, cui Martinus mederi volebat, eſt, quod formidaret, ne Nationes contenderent concluſionem de Annatis tollendis à ſe Nationaliter factam vim Synodalis Decreti obtinere, eo quod non per eas ſtetiſſet, quo minus illa concluſio etiam Synodice ſtabiliretur, ſed id via facti impeditum fuiſſet. Quare Martinus Seſſione ultima Concilii conceptis verbis pronunciat, ſe ea tantum grata rata habere, *quæ facta fuerant Conciliariter, & non aliter, nec alio modo:* qua formula prædictam Couclusionem ne cum libro fratris Joannis de Falkemberg excludere voluit à concluſione Synodi, ut pluribus infra oſtendetur.

Sexto notandum, Patres Conſtantienſes deo omnem operam atque induſtriam in Eccleſia reformanda impendiſſe, quod viderent Bohemos, atque Huſſitas de intolerandis Eccleſiaſticorum & Curiæ Romanæ mori-

bus atque exceſſibus quiritari; huncque colorem ſuo ſchiſmati defendendo obducere. Quam etiam ob cauſam Patres Baſileenſes, ut prædictos Bohemos ſuaviter ad Eccleſiæ gremium revocarent, omni contentione animi & corporis certarunt, ut Eccleſiam in capite & in membris ad normam iſtorum duodeviginti articulorum regerent.

Septimo, ex decimo tertio hujuſmodi Articulorum, *Propter quæ, & quomodo Papa poſſit corrigi & deponi:* duo aperte colliguntur: Primum, Decreta quartæ & quintæ Seſſionis abſolute ſtatui de quocumque vero & indubitato Papa, non autem de ſolo tempore ſchiſmatis, ut placet adulatoribus. Alterum eſt, Patres Conſtantienſes cum tribus & viginti Cardinalibus, qui huic Seſſioni quadrageſimæ intererant (quos inter etiam Cardinalis Columma, qui paulo poſt eſt cooptatus Pontifex) nullo modo veritatem Decretorum quartæ & quintæ Seſſionis de Concilii eminentia ſupra Papam, etiam erga veros atque indubitatos Pontifices, in dubium revocaſſe. Quare hic indubitatum monimentum praxeos eminentiæ Concilii erigitur, quod eſt decimum.

Hac eadem Seſſione XL. præſcribitur forma & modus eligendi ſummum Pontificem, de qua plura non dicam, ut ſe noſtra oratio conferat ad Apoſtolos, aut Reſponſionem apologeticam nationis Gallicanæ pro concluſione

ſione Nationaliter inita de Annatis non ſolvendis: hæc enim multa capit ſcitu & obſervatione digniſſima, quæ ad hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectant: inter quæ ſi aliqua paulusum dicta liberius videntur, non patientibus, ſed inferentibus ſcandalum tribui debent.

XIX. Enimvero, cum ſchiſmata innumeros atque intolerabiles abuſus in Eccleſiam invexiſſent, & Curiæ Romanæ officiarii: quibus hæc magno erant quæſtui, illa omni ſtudio vindicare niterentur: profecto, vix tanto malo aut adverſariorum objectionibus medicina & reſponſio ſalutaris abſque aliquo ſale inſtrui potuit: quæ acerbitas ordini vel dignitati Sacerdotali nihil derogat, ſed tantum humanæ imbecillitatis nævos detegit; ut hinc Præſules Eccleſiæ ſe homines, unicumque ac ſolum Deum omnis contagionis peccati expertem eſſe recognoſcant. Utut ſit, cum hæc intime ad hiſtoriam Eccleſiaſticam conferant, nullo poſſunt prætextu obliterari. Inſuper, prætereundum minime videtur hos Gallicanæ Eccleſiæ Apoſtolos, centum circiter ab hinc annis editos Pariſiis, & poſtmodum ab Orthuino Gratio, ſuo rerum expetendarum faſciculo inſertos, ſed ita quidem corrupte, ut vix eorum ſenſus Germanus elici poſſit: idque fuit in cauſa ut illos ad fidem & integritatem antiquiorum exemplarium reſtitui, & in XXI. articulos di-

diſtribui curaverimus. Quod vero idem Orthuinus Reſponſionem hanc Nicolao de Clamengis attribuit, tota quidem errat via; quoniam iſte Nicolaus Synodo Conſtantienſi nunquam interfuit, & apud Academiam Pariſienſem favoris Petro de Luna præbiti ſemper ſuſpectus fuit.

## ARGUMENTUM.

I. *Scandalum activum non paſſivum eſſe culpandum.*

II. *In Conſtantienſi Concilio, ex ſingulis nationibus aliquos fuiſſe deputatos pro reformanda Eccleſia Romana in capite & membris: omneſque Nationes concluſiſſe nullo jure Annatas deberi.*

III. *Exactiones Joannis* XXIII. *propter vacantias beneficiorum.*

IV. *Nationes deliberarunt per ſeptem dies in materia Annatarum.*

V, *Quando, cur, & à quibus, Annatæ primum exigi cœperint.*

VI, *Primitus, Epiſcopi & Abbates, aliquid ſponte, & loco muneris gratuiti offerre ſolebant Officiariis Curiæ Romanæ: idque deinceps tranſiit in onus & jus ordinarium.*

VII. *Quo jure exigantur Annatæ à Curia Romana.*

VIII. *Vexationes, & gravamina in exactione Annatarum commiſſa.*

IX. *Annatæ obligant ad tacitam Simoniam & perjurium.*

X. *Utrum Papa jure poſſit exigere Annatas.*

XI. *Graves querimoniæ & ſcanddala propter exactiones Annatarum.*

XII. *Mala inde ſuborta.*

XIII. *Exactiones Officiariorum Curiæ Romanæ inducunt ad uſuram paſſivam.*

XIV. *Totius ordinis Eccleſiaſtici venditio & oppreſſio ſequuta ex Annatis.*

XV. *Natio Gallicana nullo jure Annatas deberi concluſit.*

XVI.

XVI. *Reſponſio Procuratorum Cameræ Apoſtolicæ, pro defenſione Annatarum.*

XVII. *Eccleſia Romana aliarum Eccleſiarum domina & parens.*

XVIII. *De Cardinalium ſtatu, Origine, & comparatione cum Epiſcopis.*

XIX. *Summa pecuniæ, quam Romana Curia annuatim ex Galliis pro jure Annatarum percipit,*

XX. *Periculum creatum Nationi Gallicanæ, cum Eccleſiæ libertatem adverſus Officiarios Curiæ Romanæ in Concilio Conſtantienſi tueri vellet.*

XXI. *Forma uſitata in Curia Romana: ad obligandos Eccleſiaſticos qui beneficii alicujus proviſionem ambiunt.*

## *Apoſtoli & Reſponſio dati per per venerabilem Nationem Gallicanam dominis Cardinalibus, &c. appellantibus ab ejuſdem Concluſione, voto, deliberatione, ac declaratione Conſtantiæ captis & factis ſolenniter per eamdem, quod vacantiæ ac minuta ſervitia nullo jure ſunt debita, & de cætero nihil ſolvent.*

1. „CUm Evangelica veritas dicat, nihil cum ſcandalo fiendum eſſe: ſubjungit tamen, quod *neceſſe eſt ut veniant ſcandala*: ſed imputet ſibi per quem venit ſchandalum, maxime activum: quia „paſſivum vel defenſivum: communiter non „eſt in dolo nec in culpa. Cum autem venerabilis Natio Gallicana, & ipſius venerabilia „ac honorabilia ſuppoſita, tam majora, mediocria, quam inferiora Conſtantiæ congregata pro generali Concilio inibi convo-

„ cato, & debite congregato (pro deducen-
„ do in eo id in quo habent voces judicativas,
„ conſultivas, & querelosas, ſecundum ma-
„ terias ſuppoſitas, & relationes debitas) co-
„ gatur reſpondere, & Apoſtolos, ad quos
„ teneri poſſet, dare cuidam interpoſitæ ap-
„ pellationi, pro parte Magiſtri Joannis de
„ Scribanis, aſſerentis ſe Procuratorem Fi-
„ ſcalem, nomine Cameræ Apoſtolicæ, & ſi-
„ bi adhærere volentium: & pro ipſius Natio-
„ nis honore, & Concluſionis in ea habitæ
„ (ex qua oriri dicitur interpoſita appellatio)
„ juſtificatione ac veritatis manifeſtatione,
„ in reſponſione hujuſmodi, & Apoſtolorum
„ petitorum datione ordinetur veritas, quæ
„ ſi ſcandalum generet apud aliquos, vel
„ etiam alicubi, hoc cauſam activam præ-
„ ſtantibus, non autem venerabili Nationi
„ Gallicanæ defenſivam aſſumenti, ſuæque,
„ & Eccleſiarum, ac Monaſteriorum, cæte-
„ rorumque Beneficiorum (apud ipſam por-
„ tionem) neceſſitatibus proſpicienti, aſcri-
„ batur.

11. „ Deſcendendo igitur ad materiam,
„ noverit idem Magiſter Joannes de Scribanis
„ dominique Cardinales, ac eorum Colle-
„ gium, & cæteri univerſi, qui tunc & nunc
„ pro generali Concilio ſunt & fuerunt Con-
„ ſtantiæ* congregati, fuiſſe ordinatum,
„ quod deputarentur de ſingulis Nationibus
„ cer-

* *Vide Seſſionem* XL. *Concilii Conſtantienſis.*

„certi, qui cum deputatis dominis Cardina-
„libus convenirent, ad adviſandum quæ eſ-
„ſent reformanda in Curia Romana, tam in
„capite quam in ipſius membris, & de modo
„pro futuro providendi, ſicut factum fuit,
„& eſt inter ſic deputatos Nationum; cum
„quibus fuerunt, & tunc erant Domini Car-
„dinales Piſanus, Cameracenſis, & Floren-
„tinus, qui Domini Cardinales, contradi-
„centibus deputatis Nationis Gallicanæ,
„aperuerunt materiam Annatarum, & ju-
„rium ac minutorum ſervitiorum, & quan-
„tum potuerunt fundaverunt eas eſſe debi-
„tas, adducendo in medium rationes & ju-
„ſtificationes, quas per prius longe adviſave-
„runt; diſcuſſione facta inter omnes, vali-
„dioribus rationibus, & auctoritatibus juris
„divini pariter & humani, demonſtratum
„eſt non eſſe debitas. Et quamvis dediſſent
„operam ad trahendum ad eorum opinio-
„nem quos potuerant, inductione tamen fa-
„cta de ſingulorum deputatorum votis, lon-
„ge major fuit pars, quod non debentur, nec
„ulterius tolerari deberent: Propter quod
„Domini Cardinales concludere noluerunt,
„ſicut & in aliis fecerant: & ſic fuerunt primi
„qui materiam promoverunt & aperuerunt:
„Unde ſecuta ſibi imputent & nulli alteri.

„III. Novit etiam idem de Scribanis,
„Dominique Cardinales, & cæteri alii, de-
„putatos fuiſſe certos alios de ſingulis Natio-

„nibus, ad adviſandum de remediis, & modo „procedendi, & providendi in exorbitantiis, „exorbitanterque ac indebite factis, de præ-„terito in Curia Romana per olim Joannem „tunc Papam, & alios de tempore ſuo: inter „quos fuit adviſatum, quod Joannes præ-„fatus, & Curia ſua Romana Apoſtolica, „& Domini Cardinales, & eorum Collegii „Camerarius ſive pro Camerario ſe gerens, „à beneficiis Prælatorum, & prælaturarum „vacantibus, & quoties vacabant (etiamſi „ter aut pluries vacaſſent in anno) pro qua-„libet mutatione tituli, voluerunt habere „& exigere fructus primi anni beneficii, ſive „prælaturæ vacantis, & aliquando longe „ultra: & quandoque Papa, qualibet vice „Annatas vacantes habebat, & Cardinales „nihilominus partem mediam quoque pro-„pter vacantias: unde fuerunt quandoque „privati Prælati, & tranſlati inviti, & quan-„doque (propter plus offerre, & ſumptis „aliis coloribus) aſſumpti alii Prælati, qui „forte non fuerunt præferendi, ex quibus ſe-„cutæ ſunt ſtrages, guerræ, ſcandala, etiam „nondum ſopita. Et quia exorbitanter fa-„ctum fuerat, & contra jus & juſtitiam, in „oppreſſionem prælaturarum, eccleſiarum-„que, monaſteriorum, & beneficiorum, & „etiam perſonarum quibus id contigerat, & „ita factum fuerat, per eoſdem deputatos

„plu-

luribus rationibus fuit concluſum non de-
›itum, & eſſe tollendum de futuro, &
›er aliquos ex iiſdem fuit dictum, propter
eaſdem rationes & infra dicenda eſſe ex-
:endendum ad futura.

„ IV. Et ſuper hoc fuit compoſita ſchedu-
la, & inter eos lecta, & ſicut ſolet fieri
communicata, & deinde ad Nationes ſin-
„gulas miſſa, ſaltem per Deputatos dictæ
„venerabilis Nationis Gallicanæ fuit relata
„atque in eadem Natione lecta: & commu-
„niter ſuper ea ſoleniniter ſeptem diebus de-
„liberatum ſucceſſive, ſciente dicto de Scri-
„banis Dominis Cardinalibus collegialiter ac
„ſingulariter; qui etiam in hujuſmodi odium
„& vindictam dixerunt aliquos notabiles
„Prælatos excommunicatos, contra rei ve-
„ritatem, etiam ex ipſorim parte eorum
„nominibus non expreſſis, Magiſtro Joanne
„Ponceti (pro eorundem Collegio clerico
„& Promotore ſe gerenti, qui ſe interpone-
„re Appellationem dixit) aliiſque Natio-
„nibus, & cunctis Conſtantiæ pro generali
„Concilio congregatis ſcientibus: & debite
„in ea concluſum fuit, de præterito, præ-
„ſenti, & futuro eſſe tollendum.

„V. Cauſæ vero motivæ rationeſque &
„jura recollecta (quantum fieri potuit) ex
„dictis diverſorum qui in dicta natione deli-
„beraverunt, & quæ alias aperta fuerunt,
„ſubſequenter exprimuntur: & juxta Gre-

 „go-

„gorii reſponſivum oraculum, & Concilii „Lateranenſis prohibitivum edictum, ini- „tium & cauſam debendi iſtarum præſtatio- „num fructuum primi anni Prælaturarum, „Dignitatum, vel Beneficiorum vacantium „( qui aſſeruntur deberi ab iis ſuper quos „volunt exigere ) diligenter inquirentes, „privilegio, conſuetudine, aut præſcri- „ptione non poſſe defendi certum eſt: ſicut „fuit obſervatum, & de non vacantibus in „Curia, ſecundum antiqui juris ordinem, „nullum reperiri † poſſe initium, præter- „quam Reſervationem quamdam tempora- „lem, primo per Joannem Papam XXII. „factam, pro certo paſſagio ultramarino, „& quibuſdam aliis neceſſitatibus ſuis, de „omnibus Dignitatibus & Beneficiis, exce- „ptis Abbatialibus. Propter quod ſervatum „eſt in Anglia uſque ad hodiernum diem, ni- „hil Sedi Apoſtolicæ ſolvere, pro hujuſmo- „di Abbatialibus fructibus Abbatiarum va- „cantium: Excepitque Epiſcopales, & „etiam alias ſupra majores per expreſſum, „certaſque poſtmodum fecit ſuper illis de- „clarationes. Deinde poſtmodum nonnulli „Pontifices Romani ipſius ſucceſſores, etiam „certis temporibus, ſimiles fecerunt reſer- „vationes certis cauſis expreſſis, quas Clerus, „Principes, & populus aliquo tempore tole- „rarunt, ſed poſtmodum nimium gravati

„ex

† *Nota initium reſervationum.*

„ ex eis in aliquibus regnis & provinciis recu-
„ ſaverunt ſolvere, prout fuit factum in An-
„ glia, & quibuſdam aliis locis, eo quod per
„ modum facultatis toleratum fuerat. Et ſic
„ quantumcumque eis placuit licite potue-
„ runt atque poſſunt recuſare: maxime quia
„ ceſſant cauſæ quæ tunc erant, eo quod non
„ fit paſſagium ultramarinum, vel aliud vir-
„ tuoſum ex talibus pecuniis. Et quia Italiæ,
„ Galliæ, Alemaniæ, & Angliæ partes,
„ per Dei gratiam ſunt unitæ ad invicem,
„ propterea tolerari non debent, (cum pro-
„ pter diviſionem, temporibus retroactis, ali-
„ quantulum diutius fuiſſet toleratum:) nec
„ ſine reſervatione aut contradictione (quæ
„ impediunt & ceſſare faciunt præſcriptio-
„ nem) reperitur talis præſtatio decem annis
„ continuata: & quando erunt talia, præ-
„ ſcriptionem non inducunt, maxime de ſu-
„ premo ad inferiores, & minus conſuetudi-
„ nem, ut eſt Juriſtis notum, & infra expreſ-
„ ſius dicetur.

„ VI. De vacantibus vero & fructibus pri-
„ mi anni majorum Prælaturarum, Abba-
„ tialium videlicet, Epiſcopalium, & cæ-
„ tera, nullum aliud initum fuiſſe invenitur,
„ quam voluntaria & gratuita oblatio quo-
„ rumdam (qui in diſcordia electi ad Abba-
„ tialem vel Cathedralem Eccleſiam, dum
„ proſequerentur in Curia per appellationem
„ ad eam factam) per eum qui obtinebat fina-
„ lem

„lem victoriam & promovebatur ſive eligebatur: Et talis oblatio & gratuita datio, „juxta vulgare Italicum, dicta fuit *ſervitium*, „& ſecundum Alemanos *propina* dicitur. Et „dicta fuerunt *ſervitia communia*, quia com-„muniter inter eos dividebantur, eo quod „ſingulos quibus dare volebat non convoca-„bat, & ſingulis dare fuiſſet nimium onero-„ſum, qui tunc agebant in publico Conſi-„ſtorio: ſed poſtmodum deductum eſt in „Conſiſtorium ſecretum, quod tamen fue-„rat & ſimoniacum vel multum de ſimonia „ſuſpectum, & ſpecies mali crudelis, etiamſi „prætextu conſuetudinis. Tum quia, ante „vel poſt promotionem ad hujuſmodi di-„gnitates, aliquid hujus prætextu dare vel re-„cipere ſecundum ſacros Canones, eſt etiam „prohibitum. Tum quia quædam alienatio „eſt talis oblatio, datio, vel obligatio, „quam etiam facere non poteſt talis electus „vel promotus: & ſucceſſivo tempore vo-„lentes gratuite dare, & voluntarie confer-„re ſummam certam, vel aliquid (eo quod „tunc nulla certa taxa eſt in Camera, quod „ad aliqua) ad tertiam partem valoris Epi-„ſcopatus, vel Monaſterii; aliqua vero ad „mediam, in aliquibus etiam taxa dictum „valorem excedit, prout in libris Cancella-„riæ ſcriptæ ſunt, & ultra pro minutis ſer-„vitiis compulſi ſunt dare, & offerre, ſive „etiam ad ſolvendum ſe & monaſterium

„obli-

„obligare, per ſuarum literarum retentio-
„nem, ut noviſſime additum eſt: & compel-
„luntur per eamdem retentionem ſe obligare
„ad id quod reperiretur eſſe debitum in li-
„bris eorum Cameræ, ſive dominorum Car-
„dinalium, per oblationem vel obligatio-
„nem alicujus prædeceſſoris Monaſterii, vel
„Eccléſiæ ad quam aſſumitur vel transfer-
„tur. Ex quo reſultat periculum & maxi-
„ma abſurditas, propter diverſitatem libro-
„rum in quibus diverſimode poſſunt ſcribi
„ſolutiones vel non ſcribi, ſecundum diver-
„ſitatem vel obligationem, aut forte mali-
„tiam officiariorum qui præſunt talibus,
„prout quandoque compertum eſt, quem-
„admodum de hoc per formas obligatio-
„num, quas ſuper hoc habent in Cancella-
„ria: & quas in tabulis obſervant (quarum
„copia inferius ſcribitur) poterit conſtare
„plenius. Et nullus talis modus inducit con-
„ſuetudinem, præſcriptionem, nec juſtam
„cauſam talia exigendi vel etiam obſervandi.
„Tum quia, gratuita vel voluntaria oblatio
„unius vel plurium ſingularium, non indu-
„cit conſuetudinem vel obligationem, ad
„quam teneantur alii, niſi velint, cum
„hoc ſit per modum facultatis, quod præ-
„ſcribi non valet. Nec eſt jus continuum,
„quia reſpectu diverſorum & ſeparatorum
„corporum, oblatio & datio perfecta
„eſt, quæ per ſucceſſores continuata
non

„non eſt: & ſi continuata foret, nihil refert „ad alios, & quia etiam quam plures ex il„lis, qui obtulerant & debebant, ſeque ad „ſolvendum obligaverant, poſtmodum re„cuſaverunt ſolvere; tanquam indebitum, „nec etiam ſolverunt.

„VII. Tum quia nullo ſtatuto, privile„gio, conſuetudine, præſcriptione, aut alio „titulo, poteſt induci quod propter confer„re aut conſentire promotioni aut electio„ni alicujus Monaſterii vel Eccleſiæ cathe„dralis, ſive ut præficiatur adminiſtrationi „Prælaturæ, Beneficii, ſive Eccleſiæ, ali„quid poſſit, vel debeat peti vel exigi: eo „quod ſecundum Apoſtolicas & Canonicas „traditiones, clariſſime foret Simonia„cum. Tum quia non petuntur neque „exiguntur hæ Annatæ per Cameram Apo„ſtolicam & dominos Cardinales, ex eo „quod vacant, ſed quia conferunt, ſeu „quia collationi & promotioni (quæ fit „per Papam) aſſentiuntur: Et hoc eſt „clare ſecundum canones Simoniacum. „Tum quia conſtat, quod propterea exigun„tur quia conferunt ſeu electioni vel pro„motioni conſentiunt, & non quia vacant; „eo quod ab illis qui promoventur ad præ„laturas hujuſmodi extra Curiam, & per „alium quam per Papam, nihil habent, vel „exigunt, & conſtat etiam ex eo quod „nihil percipiunt in tali exactione, niſi Do-

„mi-

„mini Cardinales qui actu ſunt præſen-
„tes, & tamen de jure communi omnes
„Cardinales etiam abſentes participarent, ſi
„quia vacant deberentur vel exigerentur.
„Tum quia talis uſus vitioſus, inhoneſtus,
„continens ſpeciem mali, eſt de jure prohi-
„bitus, propterea nulla conſuetudo poteſt
„ſuper eo ſituari, & multo minus præſcri-
„ptio induci.

„VIII. Violentantur enim qui in Curia
„promoventur ad dandum & offerendum,
„ſeque & Monaſterium ſive Eccleſiam, ad
„quod ſive ad quam promoventur obligan-
„dum: ad ſolvendum taxam ſive quotam,
„quæ refertur eis eſſe in libris Cameræ, cum
„minutis ſervitiis, & omne illlud, & quid-
„quid reperitur deberi per dationem vel
„obligationem conſimilem factam Cameræ
„Apoſtolicæ, & Dominis Cardinalibus,
„per literam promotionis prædeceſſorum
„ſuorum & retentionem & detentionem. Et
„tales modi nunquam inducunt conſuetu-
„dinem, neque præſcriptionem cum ſint
„violenti: & cum hoc reſultat alia violentia,
„quia quantumcumque promoti, benedi-
„cti, vel conſecrati, (& notum fit Mona-
„ſteriis vel Eccleſiis quibus præficiuntur)
„ſine literis ejuſmodi non poſſunt intrare
„poſſeſſionem, propter conſtitutionem pœ-
„nalem factam in favorem hujuſmodi inde-
„bitarum exactionum, quæ incipit *Injun-*

„*cta.*

„ *ſtæ.* Tum Simoniacum vel ſuſpectum de
„ Simonia, quia petuntur fructus primi anni;
„ & ſolvitur in Curia realis pecunia pro fructi-
„ bus colligendis in partibus, & quia ſolvitur
„ ante tempus, & quia quandoque ſolvitur
„ totum Cameræ & ante adeptam poſſeſſio-
„ nem: & nihilominus Cardinales taxam re-
„ quirunt, & per retentionem literarum exi-
„ gunt re vel obligatione quando poſſunt.
„ Tum quia ex præmiſſis infertur rationabi-
„ lis diffamatoria murmuratio contra Roma-
„ nam Curiam: quam Deus ſervare purita-
„ tem, & juſtitiam, & ab omni ſpecie mali ab-
„ ſtinere voluit: reſultatque infectio & nulli-
„ tas omnium & ſingulorum quæ fiunt in
„ præmiſſis, datione, oblatione, obligatio-
„ ne, ſive contra obligantes, ex fulminatione
„ & ſummiſſione, propter modum & cauſam
„ ex quibus fit concurrentia in actu qui non
„ tenet. Propterea, qui dicuntur incidere in
„ ſententias (quæ ejuſmodi occaſione ferun-
„ tur) non debent eas tenere, nec timere, nec
„ videntur abſolutione indigere.

„ IX. Propter enim prædictam concurren-
„ tiam, continent errorem intolerabilem, &
„ quia ſunt contra jus conſtitutionis: Nam
„ videntur hominem obligare ad incidendum
„ in hæreſim largo ſumpto vocabulo, vide-
„ licet quod ſit licitum Spiritualia emere, vel
„ pro Spiritualibus pecuniam, & tem-
„ poralia dare. Tum quia talis conſuetu-

„ do,

„do; præſcriptio, ſeu privilegium, quan-
„do eſſent, nimium forent Eccleſiis, Cle-
„ro, & Provinciis oneroſa, & ſubſtantia-
„rum Eccleſiarum deſtructiva. Et pro-
„pterea de jure nulla eſſet præſcriptio, quæ
„nullatenus procederet: & Privilegium,
„ſi quod appareret, non ſolum de jure
„decurtandum, ſed etiam eſſet totaliter
„ſubmovendum, utroque jure hoc teſtan-
„te clariſſime. Tum quia Prælatus quili-
„bet, qui in Curia promovetur ad Mona-
„ſterium vel Eccleſiam Cathedralem, an-
„tequam ſuæ expediantur literæ in Curia,
„jurat nihil de juribus Monaſterii vel Eccle-
„ſiæ alienare, & ipſis literis in Concellaria
„expeditis, & deinde bullatis, ac etiam re-
„giſtratis portantur ad Concellariam, à
„qua haberi non poſſunt, niſi primo ſe obli-
„get, ut præfertur: quæ obligatio eſt aliena-
„tio clara, & ſic promotus videtur cogi com-
„mittere Simoniam, & ſimul perjurium.
„Tum quia non fuiſſet credendum nec eſt,
„Cameram Apoſtolicam, ac Dominos Car-
„dinales, aut quoſcumque alios, propter
„quodcumque lucrum, ſive temporale com-
„modum, velle ſuſtinere aut etiam defendere
„tantam inhoneſtatem, prætextu cujuſcum-
„que conſuetudinis, præſcriptionis, aut privi-
„legii, etiam quando eſſent, in quibus inclu-
„duntur labes Simoniæ, & clarum perjurium,
„ſcandalumque, & damnatio animarum.

„x. Tum quia, adhuc præmiſſis ceſſan-„tibus, & ſuppoſito quod Annatæ petitæ „deberentur, tollendæ ſunt ex toto ( cauſis „& inconvenientibus ac ſcandalis ſequenti-„bus : ) * Nam licet ſecundum Apoſtolicam „doctrinam Papæ Poteſtas à Chriſto imme-„diate ſit, tamen *eſt ad Eccleſiæ ædificationem, „& non ad ipſius deſtructionem*, quæ tamen „reſultaret in obſervatione prædictorum, „*eſtque hujuſmodi poteſtas ordinata ad juſtitiam „& rectum judicium exercendum* : quod „non obligaret, & ceſſaret in exactionibus „præmiſſis, *habetque præſidere propter bonum „publicum, & ſalutem animarum, & non „propter ſeipſum*, alias videretur abuſus. „Nec videtur facultas Papæ aut Eccleſiæ „Romanæ conceſſa, neque eis compe-„tit pro libito voluntatis, exactiones, ſi-„ve præſtationens aliquas imponere Ec-„cleſiis, aut Perſonis Eccleſiaſticis (cum „eorum non ſit Dominus, ſed tantummo-„do Chriſtus) maxime per quas cauſe-„tur ipſarum oppreſſio, vel inde oriatur „ſcandalum, deturque cauſa murmuran-„di, vel etiam reſultet detrimentum ani-„marum, aut fruſtretur ſive fraudetur „intentio Fundatorum, Eccleſiarum Ca-„thedralium, Monaſteriorum, & aliorum „inferiorum Beneficiorum.

„xi. Tum

* *Vide librum Cardinalis de Alliaco, de Eccleſiæ auctoritate, parte.* 2.

„ XI. Tum quia, per exactionem prædi-
„ ctarum Annatarum, tam ardenter & in-
„ honeſte exactarum, ſine Cleri, Principum-
„ que (in quorum dominio ſunt, & eorum
„ de genere, qui ea fundaverunt) expreſſo
„ conſenſu, & levem decimæ impoſitionem,
„ ſequutæ ſunt oppreſſiones in Clero, & in
„ Eccleſiis, & inde murmurationes graves
„ exortæ, & apud Regem, magnoſque
„ Principes, & alios Nobiles, & illos de po-
„ pulo uſque ad plebeios, ſcandala; quia
„ vident pati ruinas Eccleſias Cathedrales,
„ Monaſteria, aliaque Beneficia, quæ ſui
„ primogenitores & alii magnates fundave-
„ runt, & uberanter dotaverunt, & largiti
„ ſunt Ducatus, Comitatus, & alias Digni-
„ tates temporales, Baronias, Caſtra, Ter-
„ ras, Juriſdictionem, & alia temporalia bona,
„ pro ſuſtentatione miniſtrantium in divinis,
„ & ad divini cultus honorem, & augmen-
„ tum, ſuorumque peccaminum expiatio-
„ nem, alimentationem pauperum, redem-
„ ptionem captivorum, Eccleſiarum ipſarum
„ ædificationem & reparationem, terrarum,
„ ac poſſeſſionum Eccleſiarum, & Monaſteri-
„ orum culturam, jurium ipſarum proſecu-
„ tionem, conſervationem, & defenſionem;
„ quæ omnia ceſſant, nec fieri poſſunt: ſed
„ numerum in Eccleſiis fundatis miniſtran-
„ tium, juxta Fundatorum ordinationem, mi-
„ nuere oportet, propter dictas intolerabiles

O 2 „ exa-

Digitized by Google

„ exactiones. Tum quia ſcandalizantur; & in-
„ de murmuratur, cum recurrunt ad cauſas
„ propter quas talia contigerunt: dicentes non
„ fuiſſe intentionem fundatorum nec eorum
„ exiſtere, quod propter tales exactiones vel
„ etiam ſimiles, vel propter replere quadragin-
„ ta aut etiam plures Perſonas, deberent fru-
„ ſtrari intentionibus ſuis Fundatores, & ipſi in
„ hoc pati verecundiam, quod dotata per eos
„ & largita, tam exuberanter deducantur
„ ad ruinam, & patria reddatur infirmior ad ſe
„ defendendum contra hoſtes, eo quod Caſtra
„ & Munitiones nec retinere nec defendere
„ poſſunt quibus collata ſunt, & propterea
„ id nolle pati omnino dicunt: cum talia in
„ nullo ſubdantur Papæ nec Cardinalibus,
„ ut fiant eis tributaria, cum ſint feudalia, aut
„ mere temporalia. Tum ſcandala & murmu-
„ rationes inſurgunt, dum vident & ſentiunt
„ exigi ejuſmodi Vacantias & Præſtationes,
„ ſine pietate & miſericordia, aut aliqua re-
„ miſſione quantumcumque impotente: &
„ hoc notum fuit ſicut contigit in Abbate
„ Sancti Saturnini Tholoſani, compulſo obli-
„ gari ad taxam ſibi relatam, quæ erat qua-
„ tuor millium & ducentorum florenorum, &
„ non valet annis omnibus (etiam vivendo ſu-
„ pra locum) quingentos: & tam ipſe quam
„ plures alii compelluntur per exactores de-
„ putatos, uſque ad impignorationem terra-
„ rum dotalium Eccleſiæ, vel Monaſterii, &
„ uſque

„ uſque ad venditionem calicum, etiam non
„ conflatorum, librorum, & aliorum orna-
„ mentorum, & bonorum aliorum Eccleſiæ,
„ quæ petuntur ſolvere. Tum quia ſcandala
„ & murmurationes inſurgunt, quod propter
„ hujuſmodi exactionem, Prælati & alii Mi-
„ niſtri reputantur per Exactores excommu-
„ nicati, & per proceſſus ac literas quas affi-
„ gunt in locis publicis eos denunciant, iniu-
„ riantur, & verecundiam faciunt in diebus
„ ſolennibus, nec coram aliis illi audent ce-
„ lebrare, licet in veritate non teneant ejuſ-
„ modi Sententiæ: inde ſcandalizantur Prin-
„ cipes & alii de populo, & in tantum arctan-
„ tur ad ſolvendum, quod pro dilationibus non
„ dantur niſi tres menſes, & pro litera & ſi-
„ gillo relationis Sententiæ oportet ſolvere
„ realiter tres vel quatuor florenos cum di-
„ midio. Si ſit Simoniacum, videat unuſquiſ-
„ que, & ſunt in anno xx. floreni, ſine eo
„ quod dare oportet Clericis, ad hujuſmodi
„ proſecutionem deputatis, & quod expen-
„ dit nuncius in eundo & redeundo, nec pro-
„ pter hoc principale minuitur.

„ XII. Tum ſcandala ſunt exorta &
„ non ceſſant propter exactiones prædi-
„ ctas, ex eo quod, poſtquam Eccle-
„ ſia Romana continuavit tales exactio-
„ nes, non ceſſant à guerris, & major ſo-
„ licitudo Romani Pontificis, & ſuorum
„ Cardinalium uſque ad Joannem incluſive

„ noviſſime depoſitum, fuit de guerrarum
„ continuatione, in qua fit effuſio humani ſan-
„ guinis: & licet etiam habeat temporale im-
„ perium, non tamen cadunt honeſte talia in
„ viros tam perfectos: & quia per humilita-
„ tem, Sanctimoniam, & devotionem, ſo-
„ lebant jura Eccleſiæ in eſſe conſervari, re-
„ tineri, & acquiri, ſine artificiali gladio, aut
„ alia violentia. Tum quia propter tam
„ promptam numerationem hujuſmodi Va-
„ cantiarum, & aliarum exactionum, Camera
„ ac alii Domini Cardinales non curaverunt
„ neque ſoliciti fuerunt de dote & patrimonio
„ Eccleſiæ Romanæ, de quo vivere poſſent
„ & debent, neque de recolligendo tributa,
„ penſiones, & debita, quæ rationabiliter eis
„ deberentur, ſed ea per expreſſum remiſe-
„ runt & remittunt, prout fecerunt aliqui-
„ bus communitatibus; etiam moderni Do-
„ mini Cardinales, centum millia Florentinis
„ cum quibuſdam aliis, Regi Apuliæ tribu-
„ ta pro quindecim annis; & cuidam Mar-
„ chioni remiſerunt, & ita fecerunt pluribus
„ aliis, quibus conceſſerunt dari terras, &
„ Caſtra patrimonii Eccleſiæ, de quorum
„ fructibus vivere habent: & videntur
„ quodammodo affectare occupationem
„ dicti Patrimonii, & non ſolutionem dicta-
„ rum penſionum, & etiam tributorum,
„ ut ſub illo colore poſſint dictas Va-
can-

Digitized by Google

„ cantias, & alias exactiones * exigere, ac
„ per hoc collationem beneficiorum, & pro-
„ motionem ad Prælaturas retinere, ut inde
„ magis ab illis de Clero timeantur, & uni-
„ verſalius revereantur, & etiam honoren-
„ tur, ſicut de facto obſervant. Tum ſcan-
„ dala propter præmiſſas & ſimiles exa-
„ ctiones, & ipſum modum exigendi in Gal-
„ liis exorta ſunt, eo quod ſuperſtites, de
„ genere illorum qui Eccleſias, Monaſte-
„ ria, & alia Beneficia dotaverunt, audien-
„ tes referri quod pro pecuniis beneficia ha-
„ bentur in Curia Romana, & quod propterea
„ ruinæ & præmiſſæ beneficiorum deſtructi-
„ ones ſequebantur, quærelam fecerunt fie-
„ ri apud Regem Francorum eorum ſum-
„ mum Principem, in cujus Parlamen-
„ to †, & ſuo Conſiſtorio, auditis quæ
„ fuerunt propoſita pro parte Cameræ Apo-
„ ſtolicæ, & Dominorum Cardinalium
„ (quod bene ſciunt aliqui ex iiſdem) fuit
„ clare & ad plenum ſolenniter apertum, &
„ evidenter monſtratum, quod nullo jure
„ deberentur, & quod clara Simonia in mo-
„ do illa habendi includebatur, quæ plu-
„ rimum erat ſibi periculoſa, & ad ipſum
„ ſpectabat, ut dicebant, in ſuo domi-
„ no reprimere tales abuſus, & vitioſos



* *Nota.* † *Vide Arreſtum Parlamenti*; *Anno* M CCCC VI. *die* XI, *Septembris*: *&* *Regium Edictum anno eodem*, *die* XVIII. *Februarii promulgatum*.

„ exceſſus, ne conſentiendo iram Dei pro-
„ vocare videretur in ſeipſum, juxta Grego-
„ rianam Epiſtolam Theodorico, & Theo-
„ berto Francorum regibus miſſam, in De-
„ cretorum volumine inſertam: fuitque clare
„ demonſtratum, quod ultra præmiſſa, &
„ multa alia inconvenientia, per tales exactio-
„ nes vacuabantur Regnum, & dominium
„ ſuum pecuniis, & divitiis, quæ ad nullam
„ pietatem applicabantur, ſed poſtmodum
„ malos & peſſimos pariebant exitus, & cau-
„ ſabant effectus. Quodque Romani Ponti-
„ fices, pluries fuerant moniti & requiſiti,
„ ut in his tam ſcandaloſis, & cauſantibus
„ animarum damnationem providerent, &
„ canonicum ordinem darent, quod face-
„ re neglexerunt. Certam igitur provi-
„ ſionem tunc ſuper his rationabiliter edi-
„ dit: quæ per quoſcumque regnicolas & in
„ Dominiis ſuis domiciliatos, ſub divina
„ & regia offenſa ſervanda eſt: & quan-
„ do deberentur propter tale ſcandalum
„ tollendæ ſunt. Tum quia, nec dicta pro-
„ viſio totaliter ſuffecit, quin per practi-
„ cam Romanæ Curiæ aliqua pecuniis in-
„ tervenientibus in dominiis ſuis bene-
„ ficia conferrentur: & reſultaret quod
„ prius per ſolennes ſuos Ambaſſiato-
„ res (adjunctis Nunciis notabilibus, pro
„ parte Prælatorum & Cleri regni ſui,
„ atque Univerſitatis Pariſienſis) deſti-
„ na-

„natos ad Romanam urbem, præter cætera
„Domino Joanni, tunc in ſede Apoſtolica
„& Romana ſedenti, proponi eumque re-
„quiri & exortari & moneri fecit, ut tales
„exactiones, per quas tales abuſus ſeque-
„bantur, & perditio animarum, ſubmo-
„vere curaret & providere non tardaret. Qui
„verbo reſpondit, hoc ſibi placere & tota-
„liter ſubmovere velle, & ſuper hoc onera-
„re Legatum quem deſtinaturus (ut dice-
„bat) erat ad Franciam, & quia nulla pro-
„viſio ſecuta eſt, licet juſte potuiſſet ac poſſet
„(juxta dicti Gregorii Epiſtolam & alias de
„jure) per ſeipſum providere, magis in fa-
„vorem & honorem Eccleſiæ volens in hoc
„ſe mitem habere, diſtulit, & ſuis Ambaſ-
„ſiatoribus, & aliis pro Prælatis atque Cle-
„ro Regni ſui, & Delphinatus deſtinatis ad
„præſens generale Concilium, injunxit hanc
„proviſionem & remediationem proſequi;
„quam multipliciter conantur quidam impe-
„dire, plus curantes de quæſtu quam de ani-
„marum profectu. Tum quia multiplicatum
„eſt ſcandalum & cauſa nova adjuncta, ex eo
„quod Dominus Joannes olim Papa noviſſi-
„me deſtitutus, teſtificatur & ſe publice facit
„audiri, quod unum milionem & ſeptingenta
„milia florenorum auri habet in diverſis locis
„repoſita, & Collegium domino rum Car-
„dinalium ad medietatem ſummæ tantum-
„dem præſumitur habuiſſe, quorum forte

„ major pars de Galliis proceſſit. Quod Prin-
„ cipes, Clerus, & populus attendentes,
„ magis commoventur ad exquirendum re-
„ medium, cum dictæ pecuniæ nullum pro-
„ fectum fecerint, ſed plures homines & Ec-
„ cleſias maculaverint, & cauſa deſtitutionis
„ dicti Joannis, atque magni ſcandali exti-
„ terint: fuit ergo talis exactionis cauſa tol-
„ lenda, ne ſimilia futuris temporibus eve-
„ niant aut etiam contingant: & ſi prædicti
„ locum non habuiſſent, vel habere poſſent,
„ ſicut tamen habent, adhuc dictæ Annatæ,
„ & Vacantiæ, & hujuſmodi indebitæ exa-
„ ctiones ſunt tollendæ, & totaliter ſubmo-
„ vendæ, quia dant cauſam proximam Si-
„ moniæ committendæ in Curia diverſimo-
„ de, infamantque Curiam Romanam, &
„ infinitorum malorum dant occaſionem; &
„ ſunt, & fuerunt cauſa, quod venderen-
„ tur beneficia Eccleſiaſtica, Prælaturæ, &
„ dignitates mercarentur, ſicut factum fuiſſe
„ reperitur, cum Domino olim Joanne Pa-
„ pa, quod quamvis Simoniacum non eſſet,
„ ſicut eſt, tamen turpiſſimum, abomina-
„ bile, & ſcandaloſum valde eſt.

„ XIII. Tum quia ſub prætextu & colore
„ ſolvendi Vacantias, ſecundum verum va-
„ lorem & taxam antiquam prætenſam, tri-
„ plicatur, & quadruplicatur, juxta verbum
„ quorumdam, dicentium quod ſicut offert
„ juxta taxam, ita poteſt offerre & dare to-

„ tum

„tum valorem unius vel plurium annorum:
„& per hoc promoventur ambitioſi, & ma-
„le morigerati, illiterati: & quibus deſunt
„aliæ virtutes recurrunt ad pecunias, repel-
„luntur literati, viri virtuoſi, non habentes
„pecunias: & futurum eſt de proximo,
„quod ſi, ſicut factum eſt, ita continuare-
„tur in promotionibus & beneficiorum di-
„ſtributionibus, ſtudia efficerentur deſerta,
„nulluſque curaret ſcire, vel etiam ſtudere,
„poſſet inde pati fides & religio Chriſtiana,
„propter defectum doctrinæ maximum de-
„trimentum. Sunt etiam tollendæ & remo-
„vendæ, quia juxta taxam Prælaturæ va-
„cantis, cui committitur inquiſitio & pro-
„ceſſus, mercatur & vult limitare ſalarium,
„quod aſſerit ſibi debitum ab illo pro quo de-
„bet relationem facere, & in ſecuro vult
„habere antequam referat, prout in hac ve-
„nerabili natione Gallicana, per egregium
„dominum Paulum doctorem alterius natio-
„nis, conquerendo fuit notabiliter propo-
„ſitum, & aliquantulum caſus unus apertus,
„videlicet, quod quia tunc erat conventum
„cum Papa aliquem debere ſolvere tria mi-
„lia, qui relationem facere pro Vacantiis
„debebat, volebat habere trecentos, quos
„oportebat detrahere de prædicta ſumma,
„eo quod promovendus nihil plus habe-
„bat; & tunc Papa de ſuo proprio ſolvit
„quinquaginta, & centum procuravit pars
„pro-

„propria; & ſic pro quolibet miliaro, habuit
„quinquaginta: ſi ſit Simoniacum judicent
„audientes. Idem facit Notarius qui ſcribit
„in proceſſu, ſcutifer Papæ, & ſcutifer
„domini Cardinalis referentis, qui de more
„mittuntur ad promotum, utplurimum ad
„intimandum ſuam promotionem, qui ſua
„ſalaria dicunt eſſe limitanda ſecundum
„quantitatem Vacantiarum, & idem tri-
„um portarum oſtiarii, & quamplures
„alii conſimiles, qui non exprimun-
„tur de præſenti. Tum quia promotus
„in Curia propter tales angarias, cogitur
„eſſe paſſive uſurarius, & intrare manus
„mercatorum, qui pro quingentis mutua-
„tis, volunt habere & recuperare mille cum
„ſuo intereſſe, quod clare expertum eſt:
„& adhuc cogitur fieri Simonia, propter hu-
„juſmodi maculatas exactiones, eo quod
„oportet ſecundum limitationem taxæ, pro
„jure ſacræ vel benedictionis munere, ali-
„ter pecunias ſolvere, quod abhorrendum
„eſt. Tum quia etiam inſurrexit quædam
„turpiſſima vænalitas hujuſmodi Vacantia-
„rum, eo quod licet fuerit commiſſus ali-
„quis pro aliquo viro notabili promovendo
„ad prælaturam vacantem (quantumcum-
„que notabilis & ſufficiens fuerit) nihilomi-
„nus pro omnibus aliis volentibus concurre-
„re ſimiliter committetur, & ita quandoque
„eidem Commiſſario, quandoque diverſis:
„&

Digitized by Google

„ & qui melius ſolvere Vacantias poterit, &
„ ſe Commiſſario gratum reddere, & apud
„ Campſores ( quibus pecuniæ ſunt nume-
„ randæ ) de ſolvendo certos & cautos facere,
„ ille ſufficientior eſt, & præfertur aliis, ſe-
„ cundum modum quandoque obſervatum.
„ Et inde ſecuta ſunt ſcandala diverſa, ut ta-
„ ceamus illa.

XIV. „ Rurſuſque, quia propter retinere
„ ſolutionem vacantiarum & aliarum exa-
„ ctionum hujuſmodi, decimæ & ſubſidia cha-
„ ritativa quandoque inducantur, vænunda-
„ tus eſt Clerus, & libertas Eccleſiaſtica ſub-
„ lata, & totaliter remiſſa, & eſt data & con-
„ ceſſa Principibus & Communitatibus par-
„ ticipatio in hujuſmodi exactionibus, ne
„ contradicerent, & nullatenus Clero aſſiſte-
„ rent, & ut ex eo per brachium ſeculare
„ poſſent facere exigi: & ultra illa tributa,
„ aliæ etiam exactiones aliquibus conceſſæ
„ ſunt ſuper Clerum, ita quod in pleriſque
„ Dominiis facti ſunt Prælati, Clerus, &
„ quicumque Religioſi, deterioris conditio-
„ nis quam Laici: quod forte facere Papa non
„ potuit, neque poteſt: cum ſit in ſubver-
„ ſionem & turbationem univerſalis ſtatus
„ Eccleſiaſtici, abſolvere privilegia & li-
„ bertates eorum quæ ſervare habet, ut in
„ pace & quiete Deo valeant famulari,
„ & iram Dei populo placare. Præmiſſis igi
„ tur omnibus ſtantibus, dicere Vacantias
re-

Digitized by Google

„debitas, & exigi poſſe, ut præfertur, &
„pertinaciter hoc tenere, eſſet forte hæreti-
„cum, & periculoſum valde.

„XV. Ex ipſis igitur, & quibuſdam aliis de
„præſenti non expreſſis, & ex cauſa, & re-
„ſultantibus ex eis, & parte eorum, quæ
„ſufficere ad hoc poterant & poſſunt, Con-
„cluſit rationabiliter & de jure hæc venera-
„bilis Natio, & ſuppoſita ejuſdem, matu-
„ra deliberatione præhabita, dictas Anna-
„tas ſive Vacantias, & quas appellant *Com-*
„*munia, & minuta Servitia*, de præſenti &
„de præterito, nec aliquo tempore, nec
„continuari, nec per modum tributi ſeu de-
„biti imponi poſſe monaſteriis, vel Eccle-
„ſiis, aut beneficiis, ſeu perſonis Eccleſia-
„ſticis: & non eſſe debitas, & quatenus de
„de facto (prætextu eorum quæ præterie-
„runt) aliquis conaretur eas exigere vel le-
„vare, totaliter eſſe tollendas, & reſiſtendum.

„XVI. Modo ad cauſas & rationes, qui-
„bus nititur juſtificare & confirmare ſuam
„appellationem interpoſitam, præfatus de
„Scribanis, & qui eam compoſuerunt, &
„ſibi adhærentes, reſtat reſpondere: in pri-
„mis enim dicit idem de Scribanis, fuiſſe de-
„liberatum in Natione, procedendum eſſe
„in arduis per ſecretum ſcrutinium, & ita
„non fuiſſe hic practicatum, &c. Reſpon-
„detur, quod in actibus particularibus,
„de quibus actum eſt, quod per ſecretum
ſcru-

Digitized by Google

„ſcrutinium fieret deliberatio, ita obſerva-
„tum eſt: in aliis vero in quibus ſpecialiter
„actum non eſt, nequaquam, quia repugnat
„honeſtati Concilii & plenariæ libertati, &
„quando ita ordinatum fuiſſet, non eſſet
„ſubſtantiale formæ, nec decretum irri
„tans in contrarium: & quia Nationes ſin-
„gulæ deliberant apud ſe quæ videntur eis
„utilia vel neceſſaria, ſine aliarum
„Nationum convenientia, ſicut factum
„fuit de procedendo in cauſis præcedenti-
„bus, & committendis ſupervenientibus
„in Curia Sede vacante (quod non eſt de ju-
„re) in quo deliberatum fuit & etiam con-
„cluſum in quibuſdam Nationibus, ante-
„quam fuiſſet dictum verbum in Natione
„Gallicana: quæquidem Natio conſtringi
„non debet, nec plus ancillari cæteris Na-
„tionibus: & ultra quandocumque fuit
„actum, ut in actibus certis per ſecretum
„ſcrutinium deliberaretur, in eo fuit ſolen-
„niter & debite oppoſitum: quare ſuperfluo
„fundat ſe & nulliter præfatus de Scribanis.

„Cum dicit ultra in ordine idem de Scri-
„banis appellans, quod materiæ in Nationi-
„bus deliberandæ, primo deferri debent ad
„deputatos quatuor Nationum. Reſponde-
„tur ita factum fuiſſe, ut dictum eſt, & quan-
„do non eſſet factum, ſubſtantiale non eſt.

„XVII. Cum dicit idem appellans eſſe Pa-
„pæ ſubveniendum ab inferioribus Eccle-
ſiis,

„ſiis, quas aſſerit deſcendiſſe à Romana, „&c. Reſpondetur, quod quilibet Epiſco-„patus certos ſuos habet redditus pro dota-„tione & ſuſtentatione ſua ſive Epiſcopi: ſicut „habet Epiſcopus Romanus, quæ ſuffecere „& ſufficere poſſunt cum induſtria, & alia „quæ extraordinarie ſuperveniunt: Nam „Apoſtolus ex induſtria quærebat ſibi vi-„ctum, ne quibus miniſtrabat eſſet nimium „oneroſus: & ſi non ſufficiant redditus Epi-„ſcopi Romani de præſenti, primo habet re-„quirere ſubſidium à Clero ſuæ Civitatis & „Diœceſis, deinde ſuæ Provinciæ, & per „modum ſubſidii charitativi temporalis, & „non perpetui cenſus; & poſtmodum ab „aliis Eccleſiis immediate ſubditis, poteſt „ſubſidium benigne implorare: quæ (cauſa „neceſſaria ſuppoſita expreſſaque & vera) „honeſte non poſſunt denegare ad tempus. „Nec tunc forte exactio ſubventionis facien-„da reſpectu datæ temporalitatis per Funda-„tores Eccleſiarum, ut certum onus ſuppor-„tetur, aut aliquid aliud fiat, ſecundum „eorum ordinationem, ne fruſtrentur ordi-„natione & intentione ſua; ſed tantum re-„ſpectu eorum quæ proveniunt ratione ſpi-„ritualitatis, & dotis conſtitutæ à jure: ut „ſunt decimæ, oblationes, portio canonica, „mortuariorum, & ſimilia.

„Quod autem Eccleſiæ aliæ deſcenderint „à Roma, præceſſit Eccleſia Græca, in

qua

„qua primo ſedit Petrus Antiochiæ; & Ja-
„cobus Hieroſolymis: & fuerunt aliquæ
„quæ contendebant de pari, & quæ præceſ-
„ſerunt tempore, unde ab ea non videntur
„deſcendiſſe: Verumtamen, ab omnibus
„recognoſcitur tanquam ſuprema, domi-
„na, & magiſtra omnium propter virtu-
„tes, & merita Petri, & eorum qui præ-
„fuerunt in ea, cujus ultima non correſpon-
„dent primis.

„XVIII. Subjunxit poſtmodum præfa-
„tus appellans, quod ſubveniendum eſt do-
„minis Cardinalibus, qui coadiutores ſunt
„Papæ, &c. ſicut dicit. Reſpondetur quod
„Domini Cardinales duplicem habent ſta-
„tum, primævum, cujus retinent titulum,
„& principales dignitates in Collegiatis Ec-
„cleſiis: in Curia Romana obtinent vel ſunt
„Curati parochialium Eccleſiarum ejuſdem,
„† & illo reſpectu dicuntur Cardinales, id
„eſt principales, quod non competit eis ſpe-
„cialiter: ſed multæ ſunt Eccleſiæ, ſicut Ra-
„vennatenſis, in quo obtinentes dignitates
„in ea nominantur Cardinales, & ita eſt in
„pluribus aliis Eccleſiis, in diverſis Regnis
„& Provinciis: & ex iſta præſenti inſtitutione
„eorumdem, primum officium fuit, & eſt,
„& eſſe debet, confeſſiones audire, prædica-
„re, & etiam baptizare, &c. quoad Presbyte-
„ros. Epiſcopi vero Cardinales, hæc habent



† *Vide libellum Onuphrii de origine Cardinalium.*

„ facere & exercere in ſuis Diœceſibus ; &
„ iſti de ſuis titulis & eorum emolumentis
„ iſto reſpectu debent & tenentur contenta-
„ ri , ſicut alii de Clero in ſingulis Diœceſi-
„ bus : & ſi non valeant quantum value-
„ runt , limitent expenſas , vel petant ſibi
„ provideri debere , & per modum canoni-
„ cum : & ille ſtatus fuit in charitate fundatus
„ & valde humilis , & benignus : ſed alium
„ ſtatum aſſumpſerunt , quando Conſtanti-
„ nus Imperium Occidentale contulit Eccle-
„ ſiæ Romanæ , quam voluit habere Sena-
„ tum , & quod Senatores veſtibus honore
„ & ornatu decorentur , qui ſtatum illum
„ repræſentarent : & illum tenent , & repræ-
„ ſentant Domini Cardinales , ut dicit Inno-
„ centius , quorum officium eſt Principi con-
„ ſulere , ſcilicet Papæ , ſicut conſulebant
„ Principi temporali : & ſciens Conſtantinus
„ Eccleſiam non poſſe onera talis ſtatus ſuffer-
„ re , nec expenſas ſuſtinere , & quod ſtatum
„ eorum propter hoc nollet admittere , niſi
„ aliter provideret , contulit & dedit eis pa-
„ trimonium & temporalia pro ſtatu eorum ,
„ quod poſtmodum fuit augmentatum : & ſi
„ illud occupatum fuerit , culpa & negligen-
„ tia eorum factum eſt , ſicut ſupra dictum
„ eſt : ideo recuperent , vel ſint contenti de
„ eorum primo ſtatu , cum ſtatus eorum ſit
„ nimium Eccleſiæ oneroſus , & non neceſſa-
„ rius , ſicut prætendunt multi , maxime cum
tan-

„ tanto Eccleſiæ onere. Quod enim Domini
„ Cardinales ſunt Papæ coadjutores, ſicut di-
„ cit qui appellat, nihil eſt, ſuper falſo ſe fun-
„ dat: quia Epiſcopi ſunt Papæ coadjutores,
„ & ſupra Cardinales de jure divino, Cardi-
„ nales vero ſunt tantummodo Papæ conſul-
„ tores: & patet, quia dudum Cardinales qui
„ bene ſervierant (in eorum remunerationem
„ & pro quiete ipſorum) promovebantur ad
„ cathedrales Eccleſias. Patet etiam quod
„ majores eſſe videntur Cardinalibus, quia
„ cum florebat temporalitas eis data, Eccle-
„ ſia & generale Concilium ſtatum eorum li-
„ mitavit ad xxv. familiares tantum; Epi-
„ ſcorum vero ad xxx. quos tamen conte-
„ mnunt hodie, & per violentiam eos & alios
„ de Clero opprimere conantur atque volunt
„ ſibi facere tributarios, & eos faciunt vi fa-
„ miliariter ſervire: nec pro quocumque
„ Prælato etiam prono adorante eos in terra
„ ponerent manum ad capellum, ut ſaluta-
„ rent eum: quod nunquam aliquis Rex
„ aut Princeps fecit, neque hodie permitte-
„ ret, cum immediate recipiant Epiſcopi po-
„ teſtatem & dignitatem à Chriſto, Domini
„ vero Cardinales ab homine, quoad ſtatum
„ aſſumptum Senatorium. * Dictum & futu-
„ rum eſt, atque neceſſarium in ſtatu
„ eorum providere, ut certus conſtituatur
„ numerus, ſtatuſque eorum limitetur, de-



* *Vide Seſſionem 40 Concilii Conſtantienſis.*

„ cernendo quod fierent tantummodo tem-
„ porales, ſicut aliqui dixerunt, & in quoli-
„ bet generali Concilio, qui bene ſe habuiſ-
„ ſent confirmarentur, qui vero male eradi-
„ carentur, & in domos ſuas remitterentur.

„ XIX. Cum ulterius ſubjungit appellans,
„ Papa & Cardinales ſunt in poſſeſſione per-
„ cipiendi à Prælatis Annatas, præſertim in
„ dominio Regis Franciæ. Reſpondetur
„ prout ſupra & ultra, quod nullus unquam
„ illis competiit titulus percipiendi, & ſi ali-
„ quando perceperunt, hoc fuit per modum
„ permiſſivæ facultatis, & benignæ tole-
„ rantiæ, quæ ſecundum Innocentium, &
„ quoſcumque doctores, poteſt revocari
„ quandocumque: & eſt mirum literatos ta-
„ lia pro fundamento allegare, quod & cæ-
„ teros ſufferre non intendunt: quia quando-
„ cumque eſſet eis ſubveniendum, contri-
„ buendum eſſet æqualiter per Nationes &
„ Provincias, & talis proviſio Annatarum
„ nimium eſſet exceſſiva. Nam taxa Vacan-
„ tiarum, ſecundum quod deſcriptum eſt in
„ libris Cameræ Apoſtolicæ, de Eccleſiis ca-
„ thedralibus, & Abbatiis Galliarum taxatis,
„ aſcendit ad ſexcenta nonaginta ſeptem mil-
„ lia ſeptingenta quinquaginta Francorum
„ [697750.] ſine Prælaturis quas non ta-
„ xant, & aliis inferioribus dignitatibus
„ & beneficiis, quæ fere ad tantumdem
„ aſcendunt: quæ ſumma primos ſex an-
„ nos

„ nos ( velut clare demonſtraretur ) integra„liter ſolvitur, & ſingulis annis diviſa, aſ„cenderet ad ducenta millia, [200000.] „Prælaturis & aliis minoribus beneficiis „junctis. Quod ſi in ſingulis Nationibus „tantumdem reciperetur, & haberetur, „aſcenderet ad ſummam, & eſſet in univerſo, „ſex milliones, nongenta, ſeptuaginta „ſeptem millia, & quingenti floreni, „[6977500.] quod eſſet exceſſivum val„de, etiam quando non ſolveretur, niſi to„ta in decennio: & ultra Domini Cardina„les moderni, obtinerent in Galliis ſex ca„thedrales Eccleſias, & alias dignitates, ac „alia beneficia, de quo deberent conten„tari, ſine tanto quæſtu Vacantiarum, & „recurrere ad alias Nationes, ut tantum„dem eis facerent, quod eſſet rationabi„lius, quando omnes Italica, Germani„ca, Hiſpanica, & Anglica Nationes, tan„tum facerent eis, eſſent ad minus trecenta „& quinquaginta, annis ſingulis. Detra„hunt enim & obloquuntur venerabili Na„tioni Gallicanæ, quæ ſola plus facit quam „totum reſiduum, & ſuſtinet pondus & „æſtus diei.

„ Quando autem communia ſervitia, ſicut „dixit appellans deberentur propter ſervi„tium, quod Communitati & Reipublicæ „impendit Papa & Cardinales, &c. Reſpon„detur, quod Papa adminiſtrans juſtitiam, &

„ regnans ad ædificationem Eccleſiæ & ſalu-
„ tem animarum, & non propter ſeipſum,
„ ſervit quamplurium, & tali ſerviendum eſ-
„ ſet etiam realiter: quoad Dominos Cardi-
„ nales, ſi non debeatur eis niſi quia ſerviunt,
„ quamplures ex eis de nihilo ſerviunt, imo
„ nocent & officiunt, ſuperſedendo ab ex-
„ preſſione cauſarum, quæ ſuo tempore lo-
„ cum habere potuerunt.

„ Quando ulterius ſubjungit appellans,
„ quod ſine Vacantiis vivere non poſſunt, at-
„ tento quod patrimonium Eccleſiæ pro-
„ pter ſchiſma & malum regimen Eccleſiæ,
„ Romanæ, & Præſidentium in ea, eſt oc-
„ cupatum, &c. Allegat ſuam turpitudinem,
„ & devorantibus ſubſtantiam ſuam, non eſt
„ dandus recurſus ad alienas: & qui præſe-
„ derunt in Romana Eccleſia fuerunt Cardi-
„ nales, & de illo ſtatu aſſumpti, & eos qui
„ præfuerunt elegerunt Domini Cardinales,
„ etiam qui ſunt moderni, & præſumun-
„ tur elegiſſe meliores, qui (ut confitetur ap-
„ pellans & ſibi adhærentes) totum deſtruxe-
„ runt: imputent ergo ſibi ipſis.

„ Et cum ulterius appellans dicit, quod ſi
„ removerentur Vacantiæ, Cardinales Rei-
„ publicæ ſervientes non haberent unde vive-
„ rent, & ſic eas non debere ſolvi nimia levitate
„ fuiſſe concluſum in Natione Gallicana. Re-
„ ſpondetur, quod ex ſupradictis poteſt appa-
„ rere ſi nimia levitate vel digeſta deliberatio-

„ ne

„ ne proceſſit Conluſio, & ſi nimia cupidita-
„ te conetur eam impedire.

„ Procedendo ulterius dicit idem appellans, „ quod procurantes fieri dictam Concluſio- „ nem erant debitores Cameræ Apoſtolicæ. „ Reſpondetur quod ſi debitores reputet pro- „ pter Vacantias, quas aſſerit debitas, patet „ per ſupradicta non eſſe debitores, nec etiam „ debitas, nec eſſe ſolvendas; ſi ex alia cauſa „ dicat eos debitores, juſtificet actum.

„ Quod Sede Apoſtolica vacante, ſicut „ dicit idem appellans, nihil ſit innovan- „ dum, &c. Reſpondetur quod nihil inno- „ vatur, ſed quod eſt vitioſum, ſcandalo- „ ſumque, & indebitum, tale eſſe declaratur, „ & declarari petitur.

„ Qando ulterius progreditur idem appel- „ lans, oſtendens quod inconſultis aliis Natio- „ nibus ad Concluſionem Natio Gallicana „ proceſſit &c. Reſpondetur, quod per me- „ dium deputatorum aliarum Nationum (qui „ omnes conſenſerunt quod de præſenti & de „ præterito tollendæ eſſent) ſatis aliæ Natio- „ nes conſultæ videntur, & quod ſuper il- „ lis Natio Gallicana deliberaret, omnes „ ſciverunt Nationes, & etiam Domini Car- „ dinales, & ultra deliberationem, etiam „ & motiva, & Concluſionem ſuam voluit „ communicare aliis Nationibus ad effectum „ concurrentiæ, & proviſionis dandæ: quod „ Domini Cardinales, per exquiſita me-



Digitized by Google

„dia impediverunt, & inter Nationes non
„eſt quæ tantum fuerit gravata ſicut Gallica-
„na in iſtis exactionibus, & propterea magis
„ſolicita eſſe debet. Et conſtat, quia in An-
„glia nihil percipit (niſi de Epiſcopatibus qui
„ſunt pauci) Camera vel Domini Cardinales:
„nec paterentur quod interea Cardinales ob-
„tinerent beneficia: & in certis Regnis Hi-
„ſpaniarum ordinatum eſt quod Camera
„nihil totaliter recipiat: in Italia vero, bene-
„ficia, Prælaturæ, & dignitates modici
„ſunt valoris, & cum hoc Domini tempo-
„rales & Communitates prohibent quando
„videtur eis atque placet, quod dicta
„Camera nihil recipiat; & noviſſime
„Communitas Florentina (Papam Joan-
„nem qui tunc erat: & dominos Car-
„dinales in eorum civitate exiſtentes) pro-
„pter unicum abuſum, quem Papa com-
„miſit in conferendo unam Abbatiam ſitam
„in eorum Dominio, privaverunt poteſtate
„conferendi beneficia in eorundem Do-
„minio, uſque ad quinque annos, nec
„tunc appellaverunt; & tamen per hoc
„perdunt fructus Annatarum. In Alemania
„in certis Diœceſibus & provinciis percipit
„aliquid, in aliis vero nihil: imo nec ad-
„mittuntur literæ Apoſtolicæ, niſi quantum
„placet Epiſcopis, qui recuſant in de-
„negando *Vidimus*; & propterea Gal-
„lia, quia nimium grata fuit & obedi-

„vit,

„vit, nimium gravata eſt, & adhuc opprobriis laceratur.

xx. „Quando vero ſubjungit ſupradictus „appellans, quod minis & terroribus, & „certorum Principum voluntatibus allegatis, fuerunt impediti volentes deliberare, „&c. Reſpondetur quod ſicut dictum eſt ad „opprobria & injurias prorumpit appellans, „ſibique adhærentes (& appellationis compoſitio ad intelligendum) & eſt falſum „quod aſſerit: Sed Domini Cardinales fuerunt illi qui incutiebant terrores & inferebant minas, atque dicebant injurias Prælatis, & aliis notabilibus viris Nationis „Gallicanæ, & eorum familiaribus, cum „nimia auſteritate, ut libere non auderent „quod conſcientia dictaret ſuper illis exprimere: & aliquibus dixerunt, quod inquireretur contra eos ad finem deſtitutionis ſui „ſtatus: aliis dixerunt injurias, aliis vero „ſpem dabant promotionis, & exaltationis „ſtatus, de quo adhuc confidunt aliqui, & „familiares ſuos venire faciebant ad Nationem Gallicanam ad vociferandum & clamandum (ſicut de facto fecerunt) ad deliberationem impediendum: & ultra videntes non poſſe impedire deliberationem quæ „fiebat, ad invicem congregati, omnes „Protonotarios, auditores Palatii, ſcriptores, „notarios, curſores & quoſcumque alios, „etiam mechanicos Romanam Curiam ſe-

„ quentes, convocaverunt, & ad ſe venire
„ fecerunt, & cum gemitibus eis dixerunt,
„ quod Natio Gallicana per ſe ſola præſume-
„ bat deſtruere velle ſtatum Papæ, & Car-
„ dinalium, Protonotariorumque, Cameræ
„ auditorum, plurium ſcriptorum, Nota-
„ riorum, Advocatorum, Curſorum, cæ-
„ terorum quorumcumque Romanam Cu-
„ riam ſequentium: & ipſam Romanam Cu-
„ riam incitarunt, loquendo quod oporte-
„ bat ſe illis opponere, & ad contrarium la-
„ borare, & Concluſionem receptam de non
„ ſolvendo Vacantias, facere per media, ut
„ non admittatur per alias Nationes, & fuit
„ dubium & etiam periculum de magna com-
„ motione contra natos de Galliis. Nec ta-
„ lia attentaverunt quando Natio Anglicana
„ & eorum Rex illuſtris interdixit tales exa-
„ ctiones nolle plus ſuſtinere in Regno ſuo
„ Angliæ: & videntes propter hoc non poſſe
„ proficere (quia rationabile eſt quod pe-
„ titur, & irrationabile quod impedire co-
„ nantur) converterunt ſe ad appellatio-
„ nes, & unam interpoſuerunt nominibus
„ ſuis, & aliam interponi fecerunt per di-
„ ctum de Scribanis, aliam vero per Ma-
„ giſtrum Joannem Ponceti eorum Promo-
„ torem & Clericum. Per tales appellatio-
„ nes & oppoſitiones volentes impedire &
„ illibertare dicentes vota ſua: & in prædi-
„ cationibus publicis, materiam procurave-
„ runt

„ runt ad intentum eorum, & per verba ma-
„ giſtralia notaverunt non ſibi propitium
„ eſſe, quod bene fuit intentum: quare quod
„ imponit aliis, apud ſemetipſum & ſibi ad-
„ hærentes quærat appellans.

„ Quando enim ſubjunxit idem appellans,
„ quod ad dictam quæſtionem proceſſum eſt,
„ ſine prius providendo Dominis Cardinalibus,
„ & quod in hoc Natio Gallicana non ſuffi-
„ cienter conſulta, fore tollendas dictas An-
„ natas & vacantias concluſit, & Reſpon-
„ detur, quod quoad ipſam Nationem ſatis
„ laute & ample proviſum eſt Dominis Car-
„ dinalibus de ſexaginta ad ſeptuaginta mil-
„ lia, ut ſupradictum eſt, & conſultiſſime
„ concluſit, & mirum eſt quod tanto tempo-
„ re toleravit.

„ Cum ulterius dicit idem appellans, quod
„ de laudabili conſuetudine, protectio &
„ tuitio Romanæ Curiæ, & Cameræ, (ſede
„ Apoſtolica vacante) ad Cardinales ſpe-
„ ctat, qui non fuerunt requiſiti in dicta Con-
„ cluſione, &c. Reſpondetur, quod bene
„ facit allegare conſuetudinem pro titulo pu-
„ tativo, quia de jure eſt eis interdictum, ne
„ de factis Cameræ in aliquo ſe intromittant,
„ Sede Apoſtolica vacante; & ſi quæ ſit con-
„ ſuetudo occulta & totaliter ignota, nec de-
„ buerunt vocari nec requiri.

„ Concluſio eſt Nationis (quoad Natio-
„ nem, quæ reſpectu aliarum Nationum eſt
„ con-

Digitized by Google

„ conſultiva, & quoad totum Concilium eſt
„ quereloſa, quod Concilio intendunt inſi-
„ nuare, & apud ipſum proſequi) ut reme-
„ dietur abuſibus, ut redeuntes ad propria,
„ ſuis Principibus, Prælatis, & Clero, qui
„ ibi remanent, & cæteris de populo, poſſint
„ referre diligentiam quam fecerunt, ne vi-
„ deantur conſenſum præbuiſſe, nec acquie-
„ viſſe tolerationi abuſivæ in prædictarum
„ Vacantiarum præſtatione: & ſi Concilium
„ proviſionem non dederit, conſtet quod per
„ eos non ſteterit.

„ Progrediendo ulterius dicit idem appel-
„ lans, quod Domini Cardinales ſunt cauſa
„ unionis, &c. Reſpondetur quod utinam ita
„ eſſet, quod de præterito non fecerunt, nec
„ uſque nunc eſt factum: quid fiet videbitur
„ poſtea: Nec quoad hoc etiam præſumitur
„ quæ in facto conſiſtunt etiam de præſenti.

„ Cum dicit ulterius ille idem appellans,
„ quod removere Vacantias eſt ſubverſio to-
„ tius ordinis Clericalis, &c. Reſpondetur
„ quod de inordinato & vitioſo ordine vellet
„ facere ordinem ad ipſius commodum, nec
„ curaret de nutrimento peccati, nec de quo-
„ cumque ſcandalo, dummodo affluat au-
„ rum, & pecunia: Si debeat ſubverti ordo
„ Clericalis propter tollere Vacantias, poteſt
„ videri ex præcedentibus.

„ Ulterius, præfatus de Scribanis dicit, quod
„ atteſtari Simoniam intervenire in ſolutione

„ ea-

„ earum eſt venire contra vota plurium Con-
„ ciliorum, &c. Reſpondetur quod nunquam
„ in aliquo generali Concilio fuit ordinatum
„ quod aliquis poſſet recipere pecunias ut ſpi-
„ ritualia, aut beneficium conferat, vel ali-
„ quem eligat ad Dignitates, & Prælaturas; ſed
„ bene jure divino, canonico, & civili, & per
„ generalia Concilia reperiuntur prohibita,
„ quæ etiam damnant actum & conſuetudi-
„ nem.

„ Quando ulterius progreditur contra cla-
„ ram rei veritatem & ipſius conſcientiam,
„ videlicet quod ſolutio iſtarum Vacantiarum
„ eſt onus reale, nec in hoc verſatur aliqua
„ obligatio perſonalis, cum per illam ma-
„ neat officium obligatum, & non perſo-
„ na. Reſpondetur quod mirabiliter juſtifi-
„ cat actum ex iſtis appellationibus ſicut ſupra
„ dictum eſt, & clarum eſt quod literæ pro-
„ motionis haberi non poſſunt, donec obtule-
„ rit ab eo, ſeque, Monaſterium, & Eccle-
„ ſiam obligaverit, nec aliter exigitur modo:
„ quin iſta oligatio ſit perſonalis, aut jura
„ omnia fallunt, aut eſt perſonalis. Nec
„ poteſt eſſe realis, quia per obligationem
„ quam fecit de Monaſterio, vel Eccleſia non
„ eſt hypotheca, quia Dominus non eſt: & quia
„ non poſſidet tempore obligationis, & quia
„ non vergit in utilitatem Eccleſiæ, vel Mo-
„ naſterii: & quia etiam turpi cauſa, & quia
„ ſine conſenſu Conventus vel Capituli, &
„ quia

„ quia tempore fundationis non fuit tale im-
„ poſitum, nec poſt, per conſenſum illorum
„ qui conſentire habent, & neceſſario: Ali-
„ ter non poteſt eſſe reale, & quando eſſet
„ hypotheca, adhuc diſcuteretur primo per-
„ ſona quæ antea fuerat obligata. Quod mu-
„ tata perſona remaneat onus ſupra Eccle-
„ ſiam vel Monaſterium quod dimittit, non
„ eſt verum, niſi quantum per porrectionem
„ dictarum literarum eum obligare faciunt
„ ad ſolvendum, in quo obligatus reperitur
„ fuiſſe Anteceſſor, & ſic poſſunt exigere ab
„ utroque totum debitum quando volunt:
„ & quod hoc ſit verum, patet per formam
„ obligationis quam ſervant in talibus in Ca-
„ mera Apoſtolica, etiam Domini Cardina-
„ les, quæ talis eſt.

„ XXI. Primo, rubricat forma obligatio-
„ nis Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſco-
„ pi, aut Electi, quando in propria forma ſe-
„ quitur. *Vos Domine Patriarcha, Archie-*
„ *piſcope, Epiſcope, aut Electe, de licentia &*
„ *auctoritate Apoſtolica vobis in hac parte con-*
„ *ceſſa, gratis & ſponte offertis, dare promit-*
„ *titis & donatis, pro veſtro communi ſervitio*
„ *Cameræ ſanctiſſimi in Christo Patris & Do-*
„ *mini Domini PP. &c. Et ſacro Collegio Re-*
„ *verendiſſimorum in Chriſto Patrum Domino-*
„ *rum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium,*
„ *videlicet, &c. florenos auri de Camera, bo-*
„ *ni & legitimi ponderis, & quinque ſervitia*

„ *con*

Digitized by Google

„ conſueta, pro Familiaribus, & Officialibus
„ Domini noſtri Papæ, & Dominorum Cardi-
„ nalium prædictorum. Item recognoſcitis eiſ-
„ dem Cameræ & Collegio ac Familiaribus, &
„ Officialibus, omnes illas pecuniarum quanti-
„ tates, in quibus prædicta veſtra Eccleſia in li-
„ bris ipſorum Cameræ, & Collegii per aliquo-
„ rum Prædeceſſorum veſtrorum Perſonas obli-
„ gata eſt: quos quidem florenos cum quinque ſer-
„ vitiis & recognitis ſupradictis, promittitis
„ reddere & ſolvere realiter cum effectu in Ro-
„ mana Curia ubicumque fuerit, videlicet Re-
„ verendiſſimis in Chriſto Patribus, & Dominis
„ Dominis miſeratione Divina Henrico Epiſco-
„ po Sabinenſi; & Amedeo ſanctæ Mariæ no-
„ væ Diacono Neapolitanenſi, & de Salutis vul-
„ gariter nuncupatis, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ
„ Cardinalibus, & Franciſco miſeratione ea-
„ dem Archiepiſcopo Narbonenſi Domini noſtri
„ Papæ & ſacri Collegii Cardinalium Camera-
„ rio, vel eorum Succeſſoribus, vel Deputatis
„ ab eis, medietatem ſcilicet in feſto, &c. Et
„ aliam medietatem in feſto, &c. Recognita ve-
„ ro in alio ſimili feſto, &c. Quod ſi debita lo-
„ co & terminis dictam florenorum ſummam,
„ & quinque ſervitia conſueta, & recognita ſu-
„ pradicta non ſolvatis, ut dictum eſt, promit-
„ tatis redire ad Romanam Curiam infra qua-
„ tuor menſes, poſt elapſos terminos hujuſmodi
„ vel alterum eorumdem immediate ſequentem,
„ & coram dictis Dominis Camerariis ſeu eorum
„ Suc-

„*Succeſſoribus aut Deputatis ab eis perſonaliter*
„*comparere; & inde non recedere donec per vos*
„*fuerit de prædictis integraliter ſatisfactum: ſu-*
„*per hoc obligatis vos vel Eccleſiam veſtram, &*
„*Succeſſores veſtros, ac omnia bona Eccleſiæ ve-*
„*ſtræ mobilia & immobilia, præſentia & futura*
„*ubicumque ſint & conſiſtant. Et ut ſitis vinculo*
„*fortioris obligationis adſtrictus, ſubmittitis*
„*vos, & Succeſſores veſtros juriſdictioni &*
„*coërcitioni dictorum Dominorum Camerario-*
„*rum, & cujuslibet eorum in ſolidum, ac etiam*
„*Succeſſorum ſuorum & Deputandorum ab*
„*eis: & de voluntate veſtra, qui hoc vultis &*
„*petitis, & hanc juriſdictionem in eos porrigitis,*
„*præfati Domini Camerarii, & quilibet eorum*
„*eandem juriſdictionem in ſe ſuſcipientes, &*
„*ſuſcipiens in loco Mandatum faciunt |&*
„*Præceptum, ut de re confeſſata de ſolvendo di-*
„*ctam florenorum ſummam, & quinque ſervitia*
„*ac recognita ſupradicta, de reveniendo ad Ro-*
„*manam Curiam, & de non recedendo ab ea*
„*abſque ſatisfactione, & quod omnia alia &*
„*ſingula ſupra dicta efficaciter compleatis & at-*
„*tendatis: quod ſi non feceritis, ſuſpenſionem,*
„*alias adminiſtrationem ſpiritualium & tem-*
„*poralium dictæ Eccleſiæ, & ab executione*
„*Pontificalium, & majoris excommunicatio-*
„*nis Sententias, ex nunc prout ex tunc in vos*
„*Canonica monitione præmiſſa proferunt in his*
„*ſcriptis: comminantes nihilominus dicti Came-*
„*rarii, & quilibet eorum, ſe contra vos dictum*

„*Do-*

„ *Dominum Patriarcham, Archiepiſcopum,*
„ *Epiſcopum, vel Electum proceſſuros, & proceſ-*
„ *ſurum, abſque alia vocatione ſeu monitione, ad*
„ *graviores pœnas & ſententias ſpirituales &*
„ *temporales, & aggravationes earum, prout*
„ *eis ſeu eorum alteri placuerit ſeu viſum fuerit*
„ *expedire: & quod vos denunciabunt, & denun-*
„ *ciari facient per ſe, vel per alium, ſeu alios ex-*
„ *communicatum, ſuſpenſum, perjurum, & aliis*
„ *pœnis & ſententiis aſtrictum, quas propter hoc*
„ *in vos duxerint proferendas. Et vos Domine Pa-*
„ *triarcha, Archiepiſcope, Epiſcope, vel Electe,*
„ *renunciatis ſuper his omnibus Literis, Privile-*
„ *giis, Indulgentiis Apoſtolicis impetratis vel im-*
„ *petrandis, conceſſis vel concedendis quibuscum-*
„ *que, & beneficio appellationis, & reſtitutionis*
„ *in integrum, ac omni foro, uſui, præſcriptioni,*
„ *& juri revocandi donum, & omni auxilio*
„ *Juris Canonici & Civilis: per quod, contra*
„ *præmiſſa de jure vel de facto venire poſſetis, vel*
„ *aliquod præmiſſorum. Et omnia præmiſſa ju-*
„ *ratis ad ſancta Dei Euangelia tenere, ſervare,*
„ *approbare, & in contrarium non venire, di-*
„ *recte vel indirecte, per vos vel alium vel alios.*
„ *Si vero ante ſatisfactionem hujuſmodi vos con-*
„ *tingat mori, cedere, vel transferri, & ille*
„ *vel illi qui ad regimen ipſius Eccleſiæ vobis ſub-*
„ *ſtituti fuerint infra quatuor menſes, poſt ſub-*
„ *ſtitutionem & dictæ Eccleſiæ poſſeſſionem ade-*
„ *ptam, de florenis & ſervitiis & recognitis ſa-*
„ *tisfacere non curaverit ſeu curaverint, ex*
„ *nunc prout ex tunc, eaſdem pœnas & ſenten-*



Digitized by Google

„*tias in eoſdem ſubſtitutos ; & eorum quemli-*
„*bet infligunt & proferunt in his ſcriptis, prout*
„*dictum & narratum eſt, auctoritate dicto-*
„*rum Dominorum meorum Cardinalium, &*
„*noſtra, proferimus in his ſcriptis; & vos Do-*
„*minum Patriarcham, Archiepiſcopum, Epi-*
„*ſcopum, vel Electum volentem, petentem, &*
„*requirentem ad prædicta, recitata condem-*
„*namus, & nihilominus monemus vos ſemel,*
„*ſecundo, tertio, & peremptorie, ac ſub ex-*
„*communicationis pœna, ut prædicta adimplea-*
„*tis attendatis, & obſervetis: Alioquin ex-*
„*communicationis ſententiam in vos profe-*
„*rimus in his ſcriptis: Et vos Domine Patri-*
„*archa, Archiepiſcope, Epiſcope, vel Electe,*
„*vultis quod per nos Clericos, vel Notarios*
„*Cameræ, qui fuimus hic præſentes, de*
„*præmiſſis omnibus & ſingulis fiant unum vel*
„*plura Publica Inſtrumenta.*

„ Similes formæ pro eiſdem dantur, quando „ fit per Procuratores, & idem pro Abbatibus.

„ Et ſic, per tenorem dictæ obligationis, „ conſtat quod non eſt reale, ſed violentum „ perſonale, ſicut ſupra dictum eſt, eo quod „ per literarum retentionem ad hoc compel- „ luntur. Et licet compoſuerint formam „ aptiori modo quo potuerunt, ad juſtifi- „ candum & colorandum factum ſuum, ve- „ runtamen reprobanda eſt, ut vitioſa valde; „ & propterea ſuper his obligationibus nun- „ quam voluerunt groſſare Inſtrumentum,

„ nec

„ nec copiam obligationis dare. Peccant in „ quinque vel quatuor ſubſtantialibus ſecun„ dum formam Juris, quod per quemlibet in„ telligentem poteſt clare intueri: nec etiam „ Cardinales aut eorum prætenſus Camera„ rius, unquam habuerunt juriſdictionem, nec „ habent poteſtatem ad hoc quam præten„ dunt.

„ Cum dicit ulterius idem de Scribanis ap„ pellans, quod attentis conventionibus per „ Regem Romanorum & Petrum de Luna „ factis videlicet, nihil debet innovari, cum „ per hoc poſſet impediri unio Eccleſiæ, cum „ ſit in vilipendium totius Chriſtianitatis re„ movere Vacantias, &c. Reſpondetur, quod „ removere cauſam quæ præſtat & occaſio„ nem dat peccati, & damnationis animarum, „ per quam etiam parantur ſcandala & fiunt, „ per quam deſtruuntur Eccleſiæ, & univer„ ſaliter perſonæ Eccleſiaſticæ opprimuntur, „ & ſtant in errore: intentioque fundatorum „ Eccleſiarum, & beneficiorum fraudatur, „ & per quam opera pietatis impediuntur, & „ juſtitia læditur, eſt adornare Chriſtianita„ tem, & eam in devotione confovere: Nec „ per hoc fit innovatio, vel immutatio contra „ promiſſum vel conventum: & quando hæc „ facta non eſſent, aut fierent, Romanorum „ Rex illuſtriſſimus & omnes alii Reges, & „ quicumque Chriſtiani haberent increpare „ totum generale Concilium, quod mora in

 hujuſ-

„ hujuſmodi data fuiſſet, & ultra nihilo citius
„ venient qui obediunt Petro de Luna, eſt-
„ que modica ſpes quod voluntarie aliquid
„ boni faciant, & facilius propter hoc inclina-
„ buntur ad recedendum ab ejus obedientia.

„ Subjungit, quod ex illis appellabat ad Se-
„ dem Apoſtolicam, & ſummum Pontificem
„ futurum, & Apoſtolos petit, &c. omittens
„ Concilium generale fraudulentur, non du-
„ bium quod deberet eſſe judex competens in
„ cauſa hujuſmodi, & quod ſedet de præſenti
„ & ad illud poteſt haberi recurſus faciliter,
„ & appellando ad Papam tantum facit cauſa
„ diffugii: nec Papa videretur judex compe-
„ tens, eo quod ſit pars formata, & ejus Ca-
„ mera Apoſtolica, & conſilio Cardinalium in
„ hoc uteretur, qui affectum quem habent
„ oſtendunt.

„ Ideo ex præmiſſis & reſultantibus ex eis
„ tam conjunctim quam diviſim, neque ap-
„ pellationem dicti de Scribanis, neque aliam
„ interpoſitam nomine dictorum domino-
„ rum Cardinalium & eorum Collegii, nec
„ aliam interpoſitam per magiſtrum Joannem
„ Ponceti, ſeu quoſcumque alios in materia
„ hujuſmodi & ipſius occaſione, hæc venera-
„ bilis Natio Gallicana (propter hoc ſolenni-
„ ter congregata, matura deliberatione ha-
„ bita) ducit admittendam, nec eos admittit
„ appellantes, nec eorum frivolis appellatio-
„ nibus vel alteri earum eſſe deferendum, ne-
que

„ que defert. Parata eadem venerabilis Natio,
„ & ſe offerens velle reſpondere plenius &
„ ſingulariter ſingulis cauſis prædictarum ap-
„ pellationum ( ex quibus cauſantur & juſti-
„ ficare nituntur dicti Domini Cardinales, &
„ dictus Ponceti appellans, per eos ſuis no-
„ minibus interpoſitis, quarum copiam, etiam
„ facta debita diligentia habere non potuit )
„ quandocumque dabitur ei, vel habere pote-
„ rit: Proteſtando etiam de ſpecificatione
„ quorumdam aliorum hic non expreſſorum.
„ Hanc reſponſionem eiſdem de Scribanis,
„ Procuratorique Collegii dominorum Car-
„ dinalium, & ipſis dominis Cardinalibus,
„ ac præfato Ponceti ſingulariter ſingulis, ac
„ quibuſcumque ſuis adhærentibus & adhæ-
„ rere eis volentibus conjunctim & diviſim
„ pro Apoſtolis, ad quos teneri poſſet, dans &
„ eis faciens, & Præſidens ejuſdem Nationis de
„ conſenſu & mandato totius Nationis. Prote-
„ ſtans eadem venerabilis Natio, & Præſidens,
„ ac ſingula ſuppoſita ejus, maxime & ſpecia-
„ liter deſtinati pro parte Prælatorum atque
„ Cleri Galliarum ad hoc generale Conci-
„ lium, de proſequendo eorum receptam
„ Concluſionem apud præſens generale Con-
„ cilium, & ubicumque de jure debite pote-
„ rit, & licebit; & de eadem referendo, in-
„ timandoque, & ſcribendo ſereniſſimo
„ Principi Francorum Regi, & germa-
„ no ſuo Regi Siciliæ Ludovico nomi-

„ nato, illuſtri duci Aquitaniæ, primogenito
„ Regis Francorum illuſtriſſimo, cæteriſ-
„ que Ducibus, & Comitibus, & Baronibus
„ Galliarum, Prælatis, ac illis de Clero, qui
„ in partibus remanſerunt, nobilibus, & illis
„ de populo omnium Galliarum, ad ipſorum
„ excuſationem & exonerationem, & ad de-
„ bitam proviſionem conſequendam.

*Explicit libellus defenſivus Concluſionis Nationis Gallicanæ ſuper Annatis non ſolvendis, in Concilio Canſtantienſi propoſita.*

Verum ut ad Hiſtoriæ noſtræ contextum redeamus, Seſſione XLI die VIII. Nov. anno MCCCCXVII. Patres edicunt conſtitutionem Clementis Papæ VI ſuper modo & forma cibariorum, quæ dantur Cardinalibus conclave ingredientidus obſervari. Inſuper aliquot condunt capitula, in quæ electores Pontificis jurare volunt antequam conclave ingrediantur; tumque demum Jovis XI. Novembris die ſacro D. Martino Otho Cardinalis de Columna, qui Piſano & Conſtantienſi Concilio interfuit, deligitur in ſummum Pontificem, vocatuſque eſt Martinus V. ob ſancti Martini reverentiam.

Seſſione XLII. die XXVIII. Decembris decretum conditur quo Sigiſmundus Imperator liberatur à cuſtodia Baltazaris de Coſſa, qui olim Joannes XXII. dicebatur, hicque diſpoſitioni Martini V. PP. traditur.

XX. Seſſione XLIII. die XXI. Martii MCCCC

XVIII.

XVIII. Martinus V. aliquot promulgat Conſtitutiones *de unionibus, de fructibus percipiendis, de Simonia, de diſpenſationibus, de decimis, atque aliis oneribus Eccleſiaſticis, de vita & honeſtate Clericorum*: idque quoad accuratior reformatio, quam in proximum Concilium rejectam fuiſſe monuimus, haberetur. Notandum vero Decretum de decimis nullo modo quadrare decreto Concilii Seſſione XIX. propoſito: ibi enim Patres ſciſcunt, ne decimæ imponantur antequam cauſa in Synodo examinata & probata fuerit. Hic autem Martinus cauſæ cognitionem & approbationem ad ſe ſolummodo redigit; *Per nos*, inquit, *nullatenus imponentur generaliter ſuper totum Clerum, niſi ex magna & ardua cauſa, & utilitate univerſalem Eccleſiam concernente, & de conſilio, & conſenſu, & ſubſcriptione Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Prælatorum, quorum conſilium commode haberi poterit: nec ſpecialiter in aliquo Regno vel Provincia inconſultis Prælatis ipſius Regni vel Provinciæ, & ipſis non conſentientibus, vel eorum majori parte, & eo caſu per perſonas Eccleſiaſticas & auctortite Apoſtolica duntaxat leventur*. Hæc ille. Ex quibus liquet quam operoſum fuerit Eccleſiæ libertates, & Ariſtocraticum regimen recuperare. Nam ſolemne fuit Romanis Pontificibus, quoties hujuſcemodi decimas colligere vellent, politicis Principibus, Primatibus, Archie-



Digitized by Google

piſcopis, & Metropolitanis aliquid polliceri & largiri de alieno, ut facilius paterentur iſta onera imponi & exigi à Clero inferioris conditionis, cujus rei plura extant monimenta in tabulario Pariſienſis Academiæ, quæ ſæpe de hujuſcemodi exactionibus ad futurum provocavit Concilium.

XXI. Seſſione XLIV. die XIX. Aprilis MCCCCXVIII. Martinus V. certus atque indubitatus Papa decretum pro habendo futuro Concilio in hæc verba ſancit; *Cupientes ac volentes decreto hujus generalis Concilii ſatisfacere inter alia diſponenti, quod omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco, quem ſummus Pontifex per menſem ante finem hujus Concilii, approbante & conſentiente Concilio, deputare & deſignare teneatur, pro loco dicti proxime futuri Concilii celebrandi ſupradicti, eodem conſentiente & approbante Concilio, civitatem Papienſem tenore præſentium deputamus, & etiam aſſignamus: ſtatuentes & etiam decernentes quod Prælati & etiam alii, qui ad generalia Concilia debent convocari, tempore prædicto civitatem ipſam Papienſem accedere teneantur. Nulli ergo hominum liceat, &c.* Qua in bulla Martini vox, *Pontifex teneatur*, apprime notanda venit, quippe quæ demonſtrat, Martinum agnoſcere ſe decretis Concilii Conſtantienſis obligari: & idcirco ex quinque Nationum conſenſu Papiam habendo Concilio idoneam deligit & nominat;

ſic-

ſicque undecimum habes Monimentum praxeos auctoritatis Concilii ſupra Papam, etiam ab ipſo Martino deductæ in rem judicatam.

XXII. Seſſione XLV. quæ eſt ultima, die XXII. Aprilis, finis imponitur Synodo. Ut autem Acta illius diei accuratius percipiantur, ea ſunt revocanda in memoriam, quæ ſupra notavimus numero II. videlicet Patres ſemper de more habuiſſe res controverſas primum inter quinque Nationes examinare. Deinde quæ communibus Nationum ſuffragiis eſſent ſancita, ad Synodum referre, ut Conciliariter in publica Seſſione approbarentur & concluderentur. Itaque decreta prius Nationaliter quam Conciliariter probari ut robur haberent oportebat ſicut etiam obſervatum eſt ſupra Seſſione XXXVIII. Et poſtquam Nationaliter aliquid examinatum probatumque fuerat, ſtatim referebatur ad publicam Seſſionem, ut Synodice & Conciliariter auctoraretur. Hicque mos erat & ratio procedendi Patrum Synodi Conſtantienſis; quem Papa immutare nullo modo poterat: maxime vero quod id pertineret ad moderationem Ariſtocratici regiminis. In qua recuperanda omnes animi nervos Patres intendebant. Porro Cardinalis Sti. Viti cum de mandato D. noſtri Papæ Martini V. totiuſque ſacri Concilii alta & intelligibili voce pronunciaſſet hæc verba; *Domini ite in pace*: atque Reverendus Epiſcopus Catanenſi-

nienſis, ordinis Prædicatorum ſacræ Theologiæ Profeſſor, mandato D. noſtri Papæ & conſenſu Concilii Ambonem aſcendiſſet, ut concionaretur: *Ambaſſiatores Sereniſſimi Principis Regis Poloniæ, & Alexandri Magni ducis Lituaniæ petierunt & humiliter ſupplicarunt Domino noſtro Papæ nomine ſuorum Dominorum*, LIBRUM QUENDAM FRATRIS JOANNIS FALKEMBERG *notorie crudeliſſimos errores & hæreſes continentem, rite damnatum tanquam Hæreticum per deputatos in cauſa fidei: ac etiam per omnes Nationes Concilii, & per Collegium Cardinalium concluſum (ut publicis conſtabat inſtrumentis) etiam in Seſſione publica per ſacrum Concilium damnari; ſeu publice damnatum pronunciari, antequam præſens Concilium diſſolveretur: alioquin nomine ſuorum Dominorum dixerunt proteſtari de gravamine, & de appellando ad futurum Concilium.* Quibus ſic factis Sanctiſſimus Dominus noſter Papa dixit, reſpondendo ad prædicta; *quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & Decreta in materiis fidei per præſens Concilium Conciliariter, tenere & inviolabiliter obſervare volebat, & nunquam contraire quoquomodo: Ipſaque ſic Conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Et illud iterato facit dici per organum Domini Auguſtini de Piſis Fiſcalis, & ſacri Conſiſtorii Advocati, &c.* Hic rogatum velim Lectorem amantem veritatis, diligen-

ter

ter ad propoſitionem Polonorum & Martini V. reſponſionem attendat: quoniam hoc pretium operæ facit: Illi enim narrant publicis conſtare inſtrumentis librum Fratris Joannis Falkemberg notorie crudeliſſimos errores atque hæreſes continentem, rite damnatum tanquam hæreticum; primo quidem per deputatos in cauſa fidei, de quibus VI. Seſſione: deinde per quinque Nationes Concilii, atque etiam per Collegium Cardinalium: quod tribus & viginti Cardinalibus conflabatur. Ex quo inferunt & petunt, librum memoratum debere neceſſario in publica Seſſione damnari, aut pronunciari publice damnatum eſſe, antequam Concilium diſſolvatur: hocque niſi fiat, nomine Regis Poloniæ & Magni ducis Lituaniæ proteſtantur de gravamine, & de appellando ad futurum Concilium: Ratio eſt, quia ſecundum leges à Patribus Synodi Conſtantienſis poſitas & conſtanter ſervatas, nulla poſſit deſiderari aut excipi conditio vel allegari cauſa, cur liber ille nefarius Synodice damnari non debeat: maxime vero quod Eccleſiæ regimen ſit Ariſtocraticum. Contra hæc Martinus effugium opponit cum poteſtate abſoluta: *Reſpondens quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per præſens Concilium Conciliariter, tenere, & inviolabiter obſervare volebat, & nunquam contradicere quoquomodo: Ipſaque ſic Conciliariter fa-*

*facta approbabat & ratificabat , & non aliter neç alio modo.* Qua ex reſponſione intelligimus in hac ultima Seſſione , has duas voces *Nationaliter & Conciliariter* quaſi inter ſeſe opponi à Martino V. Ita ut quæ eſſent primum Nationaliter concluſa & damnata, nec tamen de hinc Conciliariter à Synodo in publica Seſſione approbata, Martinus à Synodi Concluſione exciperet , atque excluderet : & hoc in genere eſſe librum Fratris Joannis Falkemberg clare oſtenditur.

XXIII. Quibus accurate ſubductis , patet Bellarminum libro ſecundo *de Conciliorum auctoritate* cap. XIX. poſt Cajetanum fruſtra contendere Martinum V. hac voce *Conciliariter*, Decreta IV. & V. Seſſionis de auctoritate Concilii ſupra Papam voluiſſe à Synodi Concluſione & confirmatione excludere: propterea quod more aliorum Conciliorum re diligenter examinata & diſcuſſa, minime concluſa & ſtatuta fuiſſent. Nam ſola lectione ultimæ Seſſionis dignoſcitur , Martinum de ſolo libro Joannis Falkemberg, nec non & de aliis ſimilibus agere , quæ tantummodo Nationaliter & non Conciliariter damnata eſſent : quo in numero etiam reponenda Concluſio Nationum *de Annatis non ſolvendis* cujus ſupra meminimus. At decreta IV. & V. Seſſionis & Nationaliter & Conciliariter concluſa fuiſſe , ſupra probavimus.

Pro-

Profecto Cajetanus libro *de Auctoritate Papæ & Concilii* cap. VIII. cum non ſatis huic argutulæ diſtinctioni ac effugio fideret aliam meditatus eſt evaſionem, aſſerens Martinum V. Seſſione ultima ea ſolummodo probare Decreta quæ facta eſſent in materia fidei: atque Seſſione IV. & V. nondum factam fuiſſe deputationem virorum ſelectorum qui res ad fidem ſpectantes examinarent: hoc enim duntaxat factum ait Seſſione VI. Ex quo infert, Decreta de Concilii auctoritate ſupra Papam non ſpectare ad fidem Materialiter aut Formaliter. Cenſet vero aliquid attinere ad fidem Materialiter, ſi tractetur aut proponatur tanquam res pertinens ad fidem: deinde Formaliter ſi proponatur ab Eccleſia velut credendum aut damnandum. Hæc ille, quo etiam Judice ſecundum conditiones à ſe poſitas cauſam ſuam perimit. Primum quod cavillatur de deputatione in materia fidei: Rependo in Synodo Conſtantienſi duo fuiſſe rerum genera ad fidem ſpectantia: quoddam externum, aliud internum: Illudque foris allatum ad Patres Conſtantienſes, cujuſmodi erant hæreſes Bohemorum, liber Fratris Joannis Falkemberg. Item Propoſitiones hæreticæ Joannis Parvi, & alia ejuſmodi; pro quibus Seſſione VI. facta eſt deputatio, quatenus hæc primum diligenter enuclearetur inter deputatos,

dein-

deinde ad Nationes & Synodum deferrentur judicanda Nationaliter, & Synodice. Enimvero, cum ejuſmodi errores varii ac multiplices eſſent ideo ſeparatam deputationem deſiderabant: & de hac deputatione agit Cajetanus; non de interno genere rerum quod tractabatur in ipſa Synodo ad quod Patres univerſi, ſicut in Deliberationibus contingit, ſatis ſua cauſa inſtructi & parati erant: *omnes enim illuc confluxerant ad Eccleſiam in capite & in membris reformandam.* Hæcque privatam diſputationem non exigebant. Cujuſmodi etiam omnia ſunt quæ tempore ſchiſmatum diſputata fuerant in omnibus Univerſitatibus Europæ *de immediata Eccleſiæ & Concilii auctoritate ſupra Papam: quas his nituntur Fundamentis: quod Chriſtus per ſe & immediate Eccleſiam fundarit, quod indiviſim & in commune claves omnibus dederit Apoſtolis ut ab uno miniſterialiter exerceretur: ſicut facultas videndi, quæ propria eſt hominis, exercetur per oculum tanquam per miniſtrum: Item quod Synodus univerſalis legitime congregata Eccleſiam Catholicam repræſentet, &c.* Quæ omnia cum ſacris ſcripturis clariſſime contineantur, aut inde levi ratiocinatione eliciantur, ut alias probavimus, pertinent quidem materialiter ad fidem: formaliter demum quatenus conſenſu Catholico & communione Sanctorum credenda proponuntur à Synode Con-
ſtan-

ſtantienſi Seſſione IV. & V. In eumque finem primum Nationaliter deinde Conciliariter ſunt examinata. Verum, quando Martinus V. nominatim ait, *quod omnia & ſingula determinata, concluſa, & decreta in materiis fidei per Synodum Conſtantienſem Conciliariter, volebat tenere & obſervare inviolabiliter, & nunquam contraire quoquomodo:* concepta ſunt ejus verba: nemoque, niſi communis ſenſus expers negare poteſt, Decreta IV. & V. Seſſionis Conſtantienſis concluſa fuiſſe Conciliariter & ad materiam fidei pertinere, ut ſtatim amplius ex Bulla ipſius Martini probabitur: neceſſario inſurgit, Martinum ejuſmodi Decreta ſic approbaſſe, ut ea obſervari velit inviolabiliter: quæ ego dico ad hominem ex Dialecticorum regulis. Proculdubio qui Acta ipſa Concilii Conſtantienſis cogitate evolverit, quamprimum videbit hoc Cajetano, Bellarmino, & aliis Curiæ Romanæ Athletis propoſitum, ut more Pragmaticorum & vitilitigatorum fori civilis, veritatem notiſſimam cavillationibus atque verſutiis involvant, utque vulgo dicitur nebulis & pulvere oculos hominum compleant: Idque eos abſque magno conſcientiæ morſu facere mihi nullo modo perſuadere poſſum: quod enim fit contra conſcientiam grande peccatum eſt. Sed ut nos ad librum Fratris Joannis Falkemberg referamus, quando Acta Synodi Conſtantienſis enunciant

*er-*

Digitized by Google

*errores crudeliſſimos continere*, quantum conjecturis aſſequi poſſum, aliquas propoſitiones non abſimiles illis propoſitionibus habuiſſe arbitror, quæ hodie venditantur ſuper poteſtate Papæ in abdicandis & interficiendis Regibus, atque Principibus, qui Pontifici parere detrectarint: Conformiter ad ea quæ à Franciſco Suare docentur lib. VI. defenſionis ſuæ fidei Catholicæ cap. IV. numero XVIII. Quam meam conjecturam Gerſonius dialogo Apologetico pro Actis Synodi Conſtantienſis plane adjuvat: cujus hic verba attexere non pigrabor: *Conſiderent Zelatores Chriſtianæ religionis & honoris Domini noſtri Papæ ac hujus ſacri Concilii, ſi Articulus ſecundus principalis convocationis hujus Concilii, qui eſt ſuper hæreſeum & errorum exſtirpatione non tractetur vel expediatur (præſertim in materiis ſolenniter denunciatis & multipliciter agitatis in hoc ſacro Concilio) qualiter hoc varii varie potuerint imputare. Quidam ad negligentiam in re tanta, atque præcipua ſolicitudine tractanda prout fatetur Concilium in damnatione hujus,* QUILIBET TYRANNUS: *Alii ad ignorantiam, quod de paucis propoſitionibus quæ non ſunt de apicibus fidei non decreverunt, quod ſecundum doctrinam ſacræ Scripturæ tenendum ſit: An videlicet veræ ſint, vel falſæ, ſanæ vel inſanæ, approbandæ vel reprobandæ. Alii ad perſonarum acceptionem &* hu-

Digitized by Google

*humanum morem ſeu formidinem, & ad illorum contra quos hic proceſſum eſt in fidei materiis, quemadmodum ſunt Bohemi, remurmurationem. Alii ad apertam Juſtitiæ denegationem in materia fidei & morum, ſeu culpabilem diſſimulationem: alii ad Prælatorum & aliorum Avariciam, quærentium in Eccleſiaſtica reformatione quæ ſua ſunt vel utilia, non quæ Jeſu Chriſti vel ſpiritualia: Alii ad Regum & Principum & Univerſitatum qui promoverunt prædictas materias vilipenſionem, & indignationem: ut fuerunt* REX FRANCORUM, REX POLONORUM, *& Univerſitas ſtudii Pariſienſis, & plures aliæ: alii ad auctoritatis Prælaticæ ſuper hæreſibus exſtirpandis in ſuis diœceſibus enervationem, & ad Curiæ Romanæ in eiſdem erroribus exſtirpandis notoriam Commiſſionem. Alii ad ſordidam multorum in hoc Concilio uno vel alio modo corruptionem. Alii ad omnium quæ facta ſunt in Concilio ſcandaliſationem, vel infirmationem. Alii ad legatorum Regum & Univerſitatum qui ex injunctione vel inſtructione facta eis, promoverunt & promovere debuerunt prædictas materias, negligentiam culpabilem. Alii ad Theologorum & Prædicantium veritatis fidei periculum & depreſſionem ubilibet per Chriſtianitem: maxime dum errantes fuerunt Potentes & Principes. Alii ad homicidiorum, proditionum perjuriorum, ſeditionum nutritionem, ſeu juſtificationem: maxime dum bella fundantur in ſuſtinendis erroribus. Alii*



Digitized by Google

*ad hæreticantium & errantium non emendationem ſed obſtinationem: nec ad fraternam ſeu judicialem vel paternam correctionem, ſed violentiorem effrænationem. Alii ad obedientiæ generalis præſtari debitæ modo ſummo Pontifici, fortaſsis quod abſit periculoſam dilationem apud multos Chriſtianitatis Principes aut Populos. Alii ad Clericorum apud laicos, imo & apud infideles & Paganos, & præcipue Petrum de Luna & ſuos fautores ſubſannationem vel irriſionem: quod in materiis vulgo notiſſimis quæ ſunt ipſa præcepta moralia, taliter patiuntur errare & diverſa ſibi invicem pertinaciter aſſerere in præſentia generalis Concilii.* In tantum, ut ſub ſummo Pontifice, quem omnes pro exſtirpatione errorum *præſtolabantur, major diſſimulatio ſuboriri videatur. Alii denique, quod omnium graviſſimum eſt, ad offenſam Dei in deſertione defenſionis Catholicæ veritatis, imo & fautoriam hæreticæ pravitatis: dum ſcilicet error cui non reſiſtitur approbatur. Teſtes autem invocant hujus ſchedulæ Compoſitores cælum & terram, quod non ad diffamationem cujuſcumque vel irritationem, ſed ad propriam animarum liberationem, & ad obviandum prætactis & conſimilibus ſcandalis: ſi non hoc durante Concilio occurſum fuerit eventuris, iſta ſcribunt atque notificant: parati voce publica latius hæc omnia deducere ſi ita placitum fuerit Domino noſtro Papæ.*

XXIV. Subjungit Cancellarius: *Quod nulla da-*

*data eſt ad hæc inconvenientia proviſiva reſponſio, ſed in deteriora continue res lapſa eſt, uſque adeo quod pro parte dominorum Polonorum interjecta eſt tandem appellatio ad futurum Concilium. Cui appellationi cum reſpondendum eſſet, lata eſt ut dicitur in Conſiſtorio generali & publico quod ultimo Conſtantiæ celebratum eſt, minuta quædam ſub forma Bullæ; deſtruens, ut aſſerunt qui legerunt eam, fundamentale penitus robur nedum Piſani, ſed Conſtantienſis Concilii, & eorum omnium quæ in eis præſertim ſuper electione ſummi Pontificis & intruſorum ejectione attentata factave ſunt: Continebat itaque in nullo caſu licere appellationem à Papa facere nec ejus judicium in cauſis fidei declinare: plane contra legem Dei decretaque Concilii. Sed tam cæca ſemper eſt affectio quæ non zelat veritatem, tam ſemper ſibi contraria & diſſona veritati mens adverſa.* Dehinc tranſit ad librum fratris Joannis Falkemberg, notatque in illo AGI DE OCCISIONE OMNIUM POLONORUM FACIENDA *abſque lege vel ordine ipſis nec auditis nec defenſis.* Et in prima parte operum ſuorum Tractatu *Quo modo & an liceat in cauſis fidei à ſummo Pontifice appellare ſeu ejus judicium declinare.* Ita concludit alloquendo Papam Martinum. *Porro, Dominus noſter tollere poterit efficaciter ſuſpicionem ſiniſtram quæ contra Sanctitatem ſuam fieri poſſet, ſi dicta ſua factis compenſet: hoc eſt ſi ſponte nullo inquirente* damnet doctrinam

illam peſtiferam & crudelem contra Polonos, *cum ſimilibus aliis cum tali celeritate & rigore qualem fidei materia urgens in ſcandalum & perniciem reipublicæ poſtulat & requirit, procul abjecta quavis acceptione perſonarum.* Hæc ibi demum dialogum memoratum hac clauſula jam paulo ante laudata ſic concludit: *Hoc unum ſcio quod zelus habendæ unionis in ſchiſmate tam deſperato tantique temporis* fecit multa tolerari quæ fuiſſent aliunde nec tolerabilia nec toleranda. *Video quod Eccleſiæ reformatio nunquam fiet per Concilium ſine præſidentia ductoris affectati bene prudentis ſimul & conſtantis. Provideant ſibi dum ſciverint & potuerint membra per provincias aut regna non quidem in multiplicatione Conſtitutionum novellarum: hoc magis interturbat quam adjuvat, ſed per exequutionem vivacem & virilem earum legum quæ jam latæ ſunt abundantiſſime ſupervacuis etiam reſecatis vel omiſſis: video quod in doctrinis quæ fidem, quæ religionem, quæ bonos & ſalubres reſpeciunt mores vix invenietur in hac tempeſtate rebus ut ſunt manentibus, nec habito forti favore potentiæ ſecularis terminatio debita vel expedita juſtitia. Experto crede, neque deductionem pro nunc aliam pete, neque de remediis apponendis verbum feceris ſurditati. Ubi non eſt auditus jubet ſapiens ne effundas verbum.* Hucuſque Doctor Chriſtianiſſimus, demonſtrans quantæ ſit molis his ſequioribus

ſecu-

ſeculis Eccleſiam reformare: Nam antequam Papa creatus eſſet Martinus V. omnes Chriſtianæ Nationes in magna ſpe futuræ reformationis erant: utque ad eam ſibi iter munirent facile decreta de Concilii auctoritate ſupra Papam, item de unoquoque decennio frequentandis generalibus Conciliis decreverunt: atque in XL. Seſſione XVIII. Articulos ſuper futura emendatione Eccleſiæ in capite & in membris conceperunt: quæ omnia Pontifices poſtea irrita fecerunt: quare Gerſonius monet futuram Eccleſiæ reformationem impoſſibilem *abſque præſidentia ductoris bene affectati prudentis ſimul & conſtantis* Papam intelligit: oſtenditque tale facilius poſſe deſiderari quam haberi, ut experientia hæcque Hiſtoria docent: hiſque deſperatis; ſubnectit Cancellarius *in doctrinis quæ fidem, quæ religionem, quæ bonos & ſalubres mores reſpiciunt, vix in hac tempeſtate, rebus ut ſunt manentibus nec habito forti favore potentiæ ſecularis, non poſſe definitionem debitam vel expeditam juſtitiam haberi.* Ratio eſt, quia, ut ibidem ait, Curia Romana *in ejuſmodi rebus quærere ſolet quæ ſua ſunt, vel utilia; non quæ Jeſu Chriſti, vel ſpiritualia:* quod multo clarius docet *de Examine doctrinarum parte ſecunda conſideratione* V. *providendum eſt ait ſedulo per Rectores Chriſtianitatis ne ſtudium Theologicæ veritatis depereat: ſed alicubi reſideat velut in fonte. Alioquin timendum eſt ne*

 *ſuper-*

*ſuperſeminentur hæreſeum zizania, propter varietatem tot capitum, tot inſuper paſſionum diverſarum unde multiplicatio ſequitur Judiciorum: ubi ſi deſit recurſus ad Theologos non depravatos & in unum collectos quis oro providebit? Si dixerit aliquis,* fiet recurſus ad Sedem & Curiam ſummi Pontificis, *non negabimus hoc, ſi Theologia illic habuerit duos doctores non partiales, non ſeductos, non faſtuoſos, non quæſtuoſos aut invidos, non poteſtati ſeculari, non ſpirituali pluſquam veritati faventes: alioquin tolerabilius eſſet nullos habere quam tales pati:* Hæc ille: Deus bone ſi noſtra vidiſſet ſecula quibus malum in immenſum per ſingulos dies ita excrevit ut ſemper poſterior dies acerbior & nequior priore extiterit, & continuet. At vero quantum diſciplinæ Eccleſiaſticæ & Eccleſiæ ipſi, optime conſultum fuerit ſub potenti Imperio Principum Politicorum, liber primus Hiſtoriæ noſtræ Conciliorum reſeravit.

XXV. Verum in hac Polonorum provocatione ad futurum Concilium Lector habet duodecimum Monimentum praxeos Auctoritatis Concilii ſupra Papam. Quod ſi quiſpiam Martinum V. Pium & Julium II. Conſtitutiones edidiſſe de non provocando à Papa ad Concilium, eaſque in Bullam Cœnæ Domini relatas opponat: Rependes, hæc ad quæſtionem facti & ad abſolutam Papæ Monarchiam ſpectare quam Eccleſia non agnoſcit,

noſcit, quippe cum illa Monarchia deſpotica Juri Divino, naturali & Canonico penitus repugnet. Certe, quamprimum Martinus ſuam Decretalem de non provocando à Papa ad Concilium evulgavit, Pariſienſis Cancellarius contra ejuſmodi Decretum hos lucubravit atque edidit Tractatus: *An liceat in cauſis fidei à Summo Pontifice appellare & ejus Judicium declinare.* Item, *Reſolutionem de valore ex communi rationum atque irregularitatum*: In qua hæc leguntur Conſideratione 8. *Dixerunt olim* (Pontifices ſcilicet) *ante Concilium Generale Piſanum & Conſtantienſe quod nullo modo licebat appellare ad Concilium, & allegant Jura ſua pro ſe valde, ſicut eis videtur, expreſſa: Sed conſtanter nunc aſſeritur quod eſt hæreſis damnata per Conſtitutionem expreſſiſſimam & practicatam in Concilio Conſtantienſi, prout alibi diffuſius eſt oſtenſum.* Intelligit autem Gerſonius Tractatum prædictum quod ſcripſit: *An liceat in Cauſis fidei à Summo Pontifice appellare*: Ubi nominatim aſſerit *Conſtitutionem Martini V. de non provocando à Papa ad Concilium, non modo Piſanum & Conſtantienſe Concilium, verum etiam Martini V. Electionem & Joannis XXIII. Benedicti XIII. & Gregorii XII. abdicationem evertere*: quod certo certius eſt. Quandoquidem Joannes XXIII. Gregorius XII. & Benedictus XIII. tantumdem ſibi Juris potuiſſent uſurpare con-

tra Piſanam & Conſtantienſem Synodum, ac prohibere ne de ſuis Sententiis ad Concilium provocaretur, quam Martinus V. Quod ſi Curiales reſpondeant, ut aſſolent. In caſu tantum ſchiſmatis Concilium eſſe ſupra Papam: hæc eorum cavillatio nihil eis proderit quia poſt Martini V. Electionem & Bullam de non provocando à Papa ad Concilium Petrus de Luna ſuperſtes erat, ſeque legitimum eſſe Pontificem venditabat: quæ à me dicuntur argumento ad hominem.

XXVI. Ultimæ Seſſioni Conſtantienſis Concilii Bullam Martini V. pro exequutione Articulorum contra errores Joannis Wicleff ſubjiciemus: Quam Bullam Martinus de Conſenſu & Approbatione Patrum Conſtantienſis Synodi evulgavit, ſicut patet ex ejuſdem Bullæ lectione: Ubi hæc Concepta leguntur: *Sacro approbante Concilio Conſtantienſi per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus quatenus vos Archiepiſcopi & Epiſcopi ac Electi, & quilibet Veſtrum per ſe ſeu alium vel alios quos graves & idoneas Perſonas ſpiritualem Juriſdictionem habentes eſſe volumus, &c.* Deinde in fine ejuſdem Bullæ, *appellatione ſeu appellationibus quibuſcumque ceſſantibus procedatis, ac ipſos juxta eaſdem Canonicas traditiones puniatis: etiamſi opus fuerit Curiæ ſeculari relinquendo: Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Invocato ad hoc, ſi opus*

*opus fuerit, auxilio ejuſdem brachii ſecularis, &c: Datum Conſtantiæ octavo Kalendas Martii, Pontificatus noſtri anno primo.* Hæc autem Martini Conſtitutione, hæreſes Joannis Hus & Wicleff iiſdem omnino conceptis verbis damnantur, quibus antea Seſſione VIII. Conſtantienſi damnatæ fuerant à Patribus. Unde cum Articulo XL. Wicleff omnem Sedis prærogativam Romanæ Eccleſiæ his verbis abnegaret: *Non eſſe de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter alias Eccleſias*: Martinus V. poſt Synodum Conſtantienſem Seſſione VIII. errorem iſtum ſic damnat: *Error eſt, ſi per Romanam Eccleſiam intelligat Univerſalem, aut Concilium Generale: aut pro quanto negaret primatum ſuper alias Eccleſias particulares.* Qua clauſula Martinus ad mentem & propoſitum Synodi Conſtantienſis declarat primatum Sedis Apoſtolicæ ſeſe duntaxat ad Eccleſias particulares extendere: nequaquam vero ad Generale Concilium cujus directivo & coactivo Judicio Papæ ſubjicitur Seſſione IV. & V. Hic enim ſenſus eſt Patrum Concilii, quos Martinus ſe ſequi teſtatur dum hanc Bullam *Sacro approbante Concilio edidit pro exequutione Canonum.* Attexendum inſuper, Martinum eadem Bulla mandare, ut omnes ſuſpecti de hæreſi interrogentur: *Utrum credant, & teneant, & aſſerant quod quodlibet Concilium Generale, & etiam* CONSTANTIENSE

R 5 UNI-

UNIVERSALEM ECCLESIAM REPRÆSENTET: *Item utrum credant quod illud quod Sacrum Concilium Conſtantienſe Univerſalem Eccleſiam repræſentans approbavit & approbat in favorem fidei & ad ſalutem animarum quod ab univerſis Chriſtianis fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnavit & eſſe fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eiſdem eſſe tenendum, pro condemnato credendum & aſſerendum.* Hæc propria ſunt verba Martini V. Cui ad mentem & declarationem Patrum Synodi Conſtantienſis propoſitum fuit duos oppoſitos errores circa poteſtatem Papæ damnare: Primum eorum qui docebant Papam eſſe infallibilem Monarcham, ita ut ne quidem Synodo Generali ſubjectus eſſet: In quem errorem Decretum eſt IV. & V. Seſſione: Alterum errorem Huſſitarum & Bohemorum, qui abſolute primatum Eccleſiæ Romanæ negabant: Contra quem Seſſione VIII. & Martinus hac ipſa Bulla, quam enodamus. Quocirca Martinus his conceptis verbis: *Utrum credat & teneat & aſſerat quod quodlibet Concilium Generale & etiam Conſtantienſe Univerſalem Eccleſiam repræſentet, &c.* IV. & V. Seſſionem indicat, quibus hoc eſt nominatim ſtatutum Nationaliter inquam & Conciliariter: Itaque Martinus hæc ſe inviolabiliter ſequi, & tenere indicat, juxta ea quæ in ultima Seſſione Concilii dixit: Nimirum *quod ea quæ in materiis fidei Conciliariter erant decreta in-*

*inviolabiliter tenere & nunquam contraire volebat.* Quod Argumentum ſi Adverſarii ſine ulla evaſione diluere potuerint, ipſum quidem Cajetanum acumine ſuperabunt: quoniam lib. *de auctoritate Papæ & Concilii* Cap. 9. non poteſt hunc nodum aliter ſolvere quam ſuppoſitione falſi, *Aſſerendo ſcilicet Articulum* XL. *contra errores Wicleff dicere quidem Papam habere poteſtatem in particulares Eccleſias: ſed minime negare poteſtatem quam obtinet in Eccleſiam Univerſalem.* Quaſi vero, Cajetane, Patres Conſtantienſes qui obiter tantum & per accidens ratione errorum Joannis Wicleff de poteſtate Papæ ſuper Eccleſias particulares in VIII. Seſſione Articulo XL. ſtatuerunt; tum eorum fuiſſent immemores, quæ Seſſione IV. & V. directe & ex proprio inſtituto de immediata Eccleſiæ auctoritate ſupra Papam tanquam de fundamento omnium agendorum decreverunt: pluriſque apud eos fieret acceſſorium quam principale. At jam dixi illis propoſitum fuiſſe in hac Synodo duos debellare errores juſto Eccleſiæ regimini infeſtos. Ita ut 1 Seſſione IV. & V. regimen Ariſtocraticum; deinde Seſſione VIII. ſtatum vel principatum Monarchicum ſuper Eccleſias particulares explicarint & decreverint: *Illud quidem, inquam, ex proprio inſtituto & directe: hunc vero obiter tantum quando errores Huſſitarum condemnarunt*, qui Eccleſiæ Romanæ primatum abnegabant. Porro magis ridendi quam

quam confutandi ſunt, qui elencho à diviſis ad conjuncta & à particularibus ad univerſalia cavillantur Papam ideo pollere poteſtate ſuper Eccleſiam Congregatam in Concilium Generale, quod poteſtatem habeat ſuper Eccleſias particulares diſgregatas: hoc enim perinde eſt acſi quiſpiam inferret Milonem Crotoniatem, quia unum bovem ferre & comedere potuit, potuiſſe etiam cunctos boves ferre & comedere. Cæterum, hæc Bulla Martini V. pro exequutione Decretorum Synodi Conſtantienſis decimum tertium Monimentum praxeos Auctoritatis Concilii ſupra Papam nobis exhibet: quoniam Martinus omnia & ſingula de Concilii conſenſu & approbatione gerit: & ita depellitur quarta objectio propoſita in Analyſi, IV. & V. Seſſionis Conſtantienſis ubi objectiones Adverſariorum propulſavimus.

Summa hujus Hiſtoriæ Synodi Conſtantienſis eſt, ex propriis fundamentis Adverſariorum, qui nullum Concilium validum eſſe perhibent niſi à ſummo Pontifice auctoretur: Synodum Conſtantienſem etiam quoad IV. V. & XV. Seſſionem eſſe legitimam & œcumenicam: quippe quæ à Martino V. ultima Seſſione & peculiari etiam Bulla, qua Decreta Concilii Conſtantienſis exequutioni mandat confirmata fuerit.

XXVII. Tempore Synodi Conſtantienſis regnum Gallicanum, partim ob Caroli VI. intervalla, partim ob Burgundionum & Anglo-

glorum invaſiones graviter periclitabatur: & Curia Romana florenti fortunæ Anglorum atque Burgundionum favebat, ſicut temporum illorum hiſtoriæ docent, & ipſe Gerſonius non obſcure indicat in Dialogo Apologetico ſupra laudato: ipſe enim eam ob cauſam Synodo Conſtantienſi ſoluta coactus eſt in ſpontaneum proficiſci exilium, ut inſidias ſibi à Duce Burgundo paratas vitaret: eſtque triennium moratus Ratembergæ in Bavaria: unde Carolo VI. vita functo Lugdunum rediit anno M CCCC XXII. poſtquam Carolus VII. regium thronum conſcendit variis concuſſum motibus: Idque ut ille conſuetudine Fratris ſui Nicolai monachi ordinis Cæleſtinorum uteretur qui erat Lugduni. Tum vero Martinus V. aliquos judices & Nuncios Apoſtolicos miſit in Franciam, ut Eccleſiæ Gallicanæ Decreta (quibus ſtatuebatur Gallicanam Eccleſiam ad ſuas antiquas libertates reduci & jus commune ſervari) perfringerent, ac repugnantes ſententia excommunicationis innodarent: Idque ut facilius aſſequerentur, hac vulgari parœmia infirmorum animos territare conabantur: *Sententia Paſtoris etiam injuſta eſt timenda & tenenda:* qua ex re Gerſonius anſam captavit dogmatice examinandi illam Nunciorum Apoſtolicorum propoſitionem tractatu quem inſcripſit *Diſcuſſio illius aſſertionis Sententia Paſtoris etiam injuſta tenenda eſt*: quo in opuſculo demonſtrat Reges Fran-

ciæ

ciæ *die ſuæ inagurationis ſolitos ſe ſacramento adſtringere ad propugnandas Eccleſiarum regni ſui libertates: & debere reputare ſententias cujuſcumque Paſtoris, etiam ſummi Pontificis latas in oppoſitum eſſe injuſtas, & continere errorem intolerabilem contra publicam juſtitiam & cedere in uſurpationem indebitam: continuoque nec tenendas nec neceſſario timendas, præſertim cum Rex obtulerit in facie Concilii Generalis Conſtantienſis, ſe paratum eſſe providere ſtatui ſummi Pontificis ſicut alii Reges & regna pro ſua parte.* Reliqua videbit Lector, & notabit Martinum V. ubi animadvertit hoc ſuum incœptum de antiquandis Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus ſibi ex animi arbitrio minime procedere: atque Carolum VII. quamquam Anglicanis bellis implicitum fortiter pro Eccleſiæ Gallicanæ libertatibus & jure communi vindicando pugnare: uſum opera Reginæ Hieruſalem & Siciliæ, necnon etiam Ducis Britanniæ Armoricæ, ut Carolum VII. ad ſuas partes alliceret: qui quidem magnis Curiæ Romanæ pollicitationibus pellectus, tandem Martini V. poſtulatis, quem ſibi hac ratione volebat demereri, aſſenſum præbuit: atque edictum adverſus Eccleſiæ Gallicanæ libertates evulgavit die x. Februarii MCCCXXIV. hoc autem quo minus in rem judicatam abiret, Magiſter *Petrus Couſinot Cognitor regius generalis obſtitit*, ut liquet ex Actis Parlamenti: quæ à Petro Pithoeo doctiſſimo & nunquam ſatis laudato viro edita ſunt in lucem.

FINIS LIBRI II.

Digitized by Google